




HISTORI
Davidis
Georgii
453
K
33











Rev. Nobiliss. clariss.
v. D. Jo. Polyandro

SS. Theol. D. et Prof. nec
non ministro v. D. fi-
deliss.

amico et fautori
sumo

D.D. Editor.

Historia
DAVIDIS
GEORGII.

HISTORIA
Vitæ, doctrinæ, ac rerum gestarum

DAVIDIS GEORGII
Hæresiarchæ.

Conscripta ab ipsius genero,

NICOLAO BLESDIKIO.

Nunc primùm prodit in lucem ex Musæo
IACOBI REVII.



DAVENTRIÆ,
Apud *Nathanaëlem Costium* Bibliopolam.
M DC XLII.

Amplissimo Consultissimoque Viro,

D. JOHANNI à WEVELICHOVEN J. U. D.
Reip. Lugduno-Batavæ Syndico, & Nobilissimorum Amplissimorumque DD. inclytæ Academiæ Curatorum actuario fidelissimo.

Amplissime Domine,



Ibellus hic, ut ipsâ fronte præ se fert, ἀποσπασμάτιον est majoris operis, quo auctor universam historiam Anabaptisticam, ad sua usque tempora deductam, complexus erat, licet autem, quod dolendum est, antecedentia illa interierint, pars tamen hæc, de reliqui corporis veluti funere rapta, sua se dignitate facile tuetur, sive ob singularitatem argumenti, lectu non minus utilis, quam jucundi, sive ob scriptoris industriam, qui tam multa memoratu digna, quæ alibi haudquaquam reperire est, nobis evolvit;

ſive ob indubitatam ejus fidem, quippe diſcipuli ipſi Davidi Georgio adeò chari, ut is filiam ſuam ei matrimonio junxerit. Sed Deus pereuntem miſeratus, ipſum à tetro errore ad veram ſalutis viam revocavit, ejuſque operâ, qui ante in infidelitate & ignorantiâ eccleſiam vaſtaverat, ad eam erigendam clementer uſus eſt. In Electorali enim Palatinatu, poſt ſuam converſionẽ, hic noſter Bleſdikius euangelii miniſterio functus eſt. Ubi cum hiſtoriam hanc conſcripſiſſet, & publicæ, ut ex ipſo contextu apparet, utilitati deſtinaſſet, induci tamẽ non potuit, ut eam ipſe ederet, reverentiâ, ut opinor, ſoceri (cujus tamen deliria deteſtabatur) præpeditus. Verum quorundam ejus ſymmyſtarum, quibus eam ad breve tempus utendam dederat, ſedulitate factum eſt, ut raptim, diſſutis pagellis, multorum manibus deſcripta, non amplius in poteſtate auctoris eſſet. Pervenerat quoddam ejus exemplar ad Ubbonem Emmium τὴν μακαρίτην, qui ejus
editio-

editionem pollicitus quidem fuit, verũ morte preventus, quod volebat effectũ dare, non potuit: Quod ergo ab illo fieri nequivit, à me præstari, aliquam, ut spero, gratiam merebitur. ἀπόγραφον, quod sequutus sum, fuit insignis cujusdam, ecclesiæ, primùm in Palatinatu, deinde Belgio pastoris, qui & ipse pridem ad meliorem vitam migravit. Proinde communis mortalitatis memor, ne tam insigne monumentum meâ tandem culpâ prorsus intercideret, ut manu id meâ descripseram, postquam annos non paucos inter schedas meas neglectũ jacuerat, historiæ ac veritatis amantibus communicandum decrevi.

Tibi verò, vir Amplissime, ut id inscriberem, hac occasione adductus sum; quod eodem tempore, quo Daventrię sub prælo erat, Ampl. Tuã à Prępotentibus Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinibus, ad ecclesiam & Magistratum illius urbis ablegari contigit, ut de vocatione meâ ad regimẽ collegii Theologici Leydensis ageret,

geret. Quâ in actione, an honesto Præpot. Ordinum de me judicio, tam sollicitè ut sibi permitterer, petentium, an propenso Magistratus & Ecclesiæ Daventriensis erga me favori, tam amanter me apud se retinere annitentium, an tuæ prudentiæ ac dexteritati, qua res tota, ut cum summâ utrimque benevolentiæ significatione transigeretur, effectum est, plus tribuendum sit, jure dubitare possem. Certè ex illo tempore amicitiam tuam plurimi facere cœpi, idque exiguo hoc munusculo testatum volo, quod, ut pro ingenita tibi humanitate æqui bonique consulas, etiam atque etiam rogo. Dabam Lugduni Bat. EID. JAN. CIϽIϽCXLII.

T. A. devotiss.

JACOBUS REVIUS.

HISTORIA DAVIDIS GEORGII.

Vnde, & quibus ex causis inter doctores Anabaptisticæ sectæ per inferiorem Germaniam ortum primum & auctum perpetuatumque sit in religione dissidium: Et quomodo intra biennium inde natæ sint quatuor factiones: Et quid quæque factio docuerit, & quem exitum auctores factionum habuerint: Potissimum autem qua occasione secta DAVIDIS GEORGII *emerserit, & quæ fuerint ejus initia & progressiones, quæque dogmata, vera & certa Narratio.*

IN PRIMA hujus operis parte hactenus narravimus, Christiane lector, quomodo per Melchiorem Hofmannũ Suevum pellionem anabaptistica dogmata An. 1529 primum spargi cœperint in inferiore nostrâ Germaniâ: quomodo is deinde in vincula ab Argentinensi Rep. sit conjectus: & ejus emissarii, submissis inde in nostras partes literis & libellis, solicitarint & inescarint quorundam

ad res novas alioqui proclives animos, & in ſuas tandem pertraxerint partes. Præterea, quomodo illa jam antea per Hofmannum jacta ſemina à concionatoribus quibuſdam exculta, & tandem per Iohannem Matthiam, infelicem & ſeditioſum hominem ad culmen ſint perducta: Et in quam horribilem meſſem ea ſementis tandem eruperit in urbe Monaſterienſi, qua capta & maxima populi parte extincta de auctoribus tam pernicioſi tumultus ſupplicium capitis ſumtum, atque finitum eſt tragicum illud regnum. Nam An. 1533 menſe Iunio Hofmannus Argentinæ è vinculis ad publicam diſputationem productus & admiſſus fuit: à quo tempore inſtaurationem regni Dei orſam eſſe ſui affirmabant: & eodem poſt biennium menſe capta fuit urbs Monaſterienſis, cum altero poſt anno in Februario Bucoldus rex, Knipperdollingus, & Bernardus Krechting ignitis laminis toto corpore excarnificati, & ferrea cavea incluſi è ſumma D. Lamberti turri ſuſpenſi fuerunt. Nunc vero texenda eſt narratio, quæ ſubſequentibus annis infeliciter tentata pernicioſeq; facta ſint ab illis qui tragicum illud regnum continuare, vel aliis novis rationibus Chriſtianum orbem inſtaurare conati ſunt. Et quæ inter hos novos mundi inſtauratores diſſidia fuerint, &

Henricus Roll. Ioannes Matthias, Harlemenſis piſtor, poſtea novus apoſtolus in urbe Amſterodamo, tandem in urbe Monaſterienſi propheta.

ex quibus causis orta & aucta, deinde & quam varias tandem & diversas sectas genuerint, & quæ fuerint atque sint cujusque factionis dogmata, conatus, mores. Deinde quomodo David Georgii has omnes ad concordem aliquam novam doctrinam sibi revelatam, redigere conatus sit. Postremo quæ sint ejus hæresis dogmata præcipua; quis ejus ortus, quæ patria, quæ acta, qualis vita & exercitatio, & qualis tandem ejus obitus fuerit. Harum rerum serie tota studiose pervestigatâ delegi ex his præcipua, quæ putavi lectori esse posse utilia. Sed hactenus præfati, proposito nostro insistamus.

Superiori libro narravimus, quomodo Hofmannus, fretus auctoritate prædictionum cujusdam verè deliri Leonardi Ioest civis Argentinensis & aliorum similium fanaticorum hominum in eam venerit opinionem, ut crederet, aliisque persuaderet, urbem Argentinensem præ omnibus totius orbis urbibus à Deo præelectam esse: ut quemadmodum olim ex Hierosolymitana urbe prædicatio euangelii exorsa, tandem in omnes orbis partes perducta propagataq; fuisset: ita per ejusdem instaurationem ex urbe Argentinensi per novos quosdam Apostolicos viros fieri oportere. Cum autem Hofmanni doctrina & institutum ab Argentinensi Rep. non reciperetur, sed potius

Hofmanni de orbis Christiani reformatione opinio.

Hofmanni doctrina ab Argent. rep. rejecta.

aquâ & igni interdiceretur omnibus qui eam ſectam publicè privatimq; tuerentur: Et Ioannes ille Harlemenſis piſtor primo, poſtea Amſterodamenſis novus apoſtolus, poſtremo Monaſterienſis propheta una cũ octo aliis Hofmanni diſcipulis in urbe Amſterodamo rebaptiſmi introducendi author & impulſor, atque adeo dux & anteſignanus fuiſſet (Hofmanno tamen neſcio & inconſulto) illudque negocium ſatis feliciter procederet per totam inferiorem Germaniam, maximè autem in primaria Weſtphaliæ urbe Monaſterienſi, propterea quod aliqui ex euangelicorum concionatorum ordine Hofmanni diſciplinam jam antea approbaſſent: & cives una cum aliis multis, qui ex vicinia in urbem confluxerant, eandem urbem adverſus omnem vim tuerentur, venerunt horum novorum apoſtolorum plerique in eam ſententiam, quod Deus Argentinâ ob incredulitatem cum tyrannide conjunctam rejectâ, ejus loco in novam Hieroſolymam elegiſſet ſibi urbem Monaſterienſem: maximè autem cum viderent eam adverſus omnem exteriorem atque adeo etiam totius Imperii vim & graviſſimam obſidionem ſatis feliciter ad tempus defendi. Effectum igitur eſt ut hæc res multorum Anabaptiſtarum animos in ſpem novæ Reip. conſtituendæ & per totum or-

bem propagandæ mirificè erexerit. Cum autem Hofmannus in vinculis intelligeret Ioannem Matthiam cum ſuis ſymmyſtis anabaptiſmum longè latéque propogare, & in vrbe Manaſterienſi res magnas ſuſcipere & feliciter gerere, etſi felicitatem gratularetur negotio, tamen illud in vniuerſum probare noluit: partim quod illi incitatus ille Ioannis Matthiæ animus ſemper fuiſſet ſuſpectus: deinde quod hæc noua œconomia plurimum recedere videretur à forma illa quam Hofmannus tum ex ſacris literis, tnm ex nouorum prophetarum oraculis delineaverat.

Et licet Hofmanni hæreſis merito & neceſſario ab euangelicis eccleſiis fuit damnata, tamen eius œconomia reliquis Anabaptiſticis factionibus aliquanto tolerabilior viſa eſt pleriſque. Nam neque Ioanni Matthiæ rebaptiſmum introducendi, neque tumultibus excitandis vel auctor vel applauſor fuit: quin & ſuum dolorē eā ob rem conceptum ſæpe & oratione & ſcriptis ſignificauit: quin & utrique ominatus eſt exitum qualem olim experti erant Core, Dathan & Abiron. Iudicabat autem nullam renouationem tentandam, niſi ad exemplum olim in die pentecoſtes a Deo ſupra apoſtolos editum, nunc etiam apoſtolici viri novo ſpiritu cœlitus delapſo obfirmarentur. Ad-

hæc ordinem Magiſtratus, uſum gladii, contractuū &c. non minus in Novo quā in Vet. Teſt. legitimum eſſe admittebat. Erant & in Friſia quæ vocatur Occidua aliqui Anabaptiſtici doctores, qui tum ob toties fruſtratam expectationem eventuum oraculorum Hofmannicorum, tum ob alia tumultuoſa incepta & infeliciter geſta, incipiebant dubitare, & hujus ſuæ dubitationis cauſas exponere aliis, aut ſaltem muſſitare invicem. Inter hos fuit quidam eximius Vbbo appellatus, homo Friſius Leowerdienſis. Habuit & fratrem Theodoricum, ſibi conſentientem. Erat autem hic græcæ & latinæ linguæ peritus, alter planè rudis, ſed populariter diſertus. Quibus tandem acceſſit Menno Simonis, qui recens ſacerdotalem ordinem in vico Witmarſo circa oppidum Bolſwert abjecerat, ſed hi ſuis hiſce de Monaſterienſium negocio querelis adeo nihil effecerunt quamdiu Monaſterienſium res eſſent ſalvæ, vt multorum in ſe odia concitarent & pro Regni Chriſti hoſtibus haberentur à plerisque. Capta urbe, & infelici fato ſublatis iis qui paſſim tumultus moverāt, cœperūt hi doctores liberius reprehendere & traducere Monaſterienſium dogmata & acta ſeditioſa. Quod cum alii impotenter negocio Monaſterienſium addicti ferre non poſſent, nata ſunt in de

Vbbo & Theodoricus Philippi.

Menno Simonis Phriſius occiduus.

certamina, quæ in nova ſchiſmata eruperunt. Et hoc fuit initium disjunctionis ſectæ Anabaptiſticæ in Belgio, dum Vbbo & frater ejus una cum aliis, Monaſterienſium dogmata & diſciplinam impugnarent, alii contra defenderent & ſuos adverſarios ut Antichriſtes judicarent damnarentq;. Iam & qui Monaſterienſium diſciplinam tuebantur, non per omnia erant concordes, dum quidam Ioannes Theodorici (cujus parens ex nobili Batenburgenſi familiâ oriundus, nothus tamen) cum ſuis nonnihil diverſum docebat, aut ſaltem quædam aliter quam Monaſterienſium reliquiæ agebat. Quoniam autem cum eo non conſpirabant, eos vocabat tepidos & ignavos, atque adeo apoſtatas.

Ioannes Batenburg olim Anteſignanus & conſul in Steinvvick.

Ad eundem modum & ii qui Monaſterienſem diſciplinam impugnabant, nonnihil diſſentiebant. Nam aliter docebant Hofmanni diſcipuli ad Rheni tractum, Brabantiam, Hollandiam, Angliam &c. aliter Vbbo, & qui cum eo idem ſentiebant & docebant, in Friſia & alibi. Articuli in quibus hi communiter inter ſe diſſentiebant erant duo veluti præcipui: Primus, quid, & quale ſit regnum Chriſti, & quæ ſit ejus inſtaurandi ratio. Secundus controverſiæ articulus erat de pluralitate vxorum, & de divortio ob malos mores vel diverſitatem fi-

dei faciendo: quod Monaſterienſes & Batenburgenſes vrgebant. Vbbitæ, qui Mennonitæ hodie vocantur, docebant, nullum alium Regni Chriſti ſtatum in hiſce terris eſſe expectandum, quam qui hodie in omnium conſpectu verſaretur, obnoxium videlicet perſecutioni. Neque etiam aliam extraordinariā Apoſtolicæ auctoritatis vocationem eſſe expectandam, ſed quibus à baptizato populo committeretur prædicandi verbi & adminiſtrandorum ſacramentorum miniſterium, ijs demum communi ea poteſtate præ alijs vti licere, quamdiu illa duraret miniſterij commiſſio. Vtriuſque tam Hofmannicorum quam Monaſterienſium novo apoſtolico ſpiritu accipiendo, & per vim omnia reſtituendo expectationem eſſe tum fanaticam tum ſeditioſam, & idcirco neceſſario damnandam.

Qualis fuerit Hofmanni doctrina iam antea ex parte audivimus, nimirum, eorum qui per Germaniam hactenus rebaptizarunt miniſterium eſſe rude & imperfectū opus, quale erat miniſterium apoſtolorum ante Sp. S. in die Pentecoſtes acceptum, quod pauco tantum tempore duraret, & tandem accepto Spiritu pentecoſtali, vt vocant, ſuperaretur. Per hos novos apoſtolicos viros novam Hieroſolymam reædificandam, his templū aperiendū ap. 11, 19. & viam ad nu-

ptias agni aperiendã ap. 19,7. Sed prius omnẽ Ægypti primogenitũ, hoc eſt Pontificiũ regnũ cum ſuis monarchis & defenſoribus abolendũ: idq; futurũ per duos Chriſtiani orbis reges, quorũ alterũ autumabat fore Regẽ Daniæ, cui & ſuum in Ioan. Ap. dedicaverat commentariũ. Horum regũ favore & præſidio apoſtolicos illos viros in urbe Argentinenſi ritè præparatos, & pentecoſtali illo ſpiritu indutos accepturos poteſtatẽ euangelizandi per totum terrarũ orbem. Et hucrefert quæ leguntur Ap. 15.8. quod nullus poſſit in templum ire donec ſeptẽ angelorũ clades per actæ forent: in ſeptimi angeli phialæ effuſione in aërẽ facta corruiturum Antichriſti regnũ. Ap.16.17. 19.diuiſum iri urbẽ illam magnam Babylonẽ in tres partes, & gentium urbes corruituras. Tunc agni nuptias futuras. Ap. 19. 7.

Iam quæ Monaſterienſium de hoc negocio ſit ſententia iam ante breviter perſtrinximus: nimirum conſummatum & finitum eſſe tempus in quo affligendi erant ſancti. Iam adeſſe tempus meſſis, in quo Deus ſuum populum vindicaturus & liberaturus, atq; eorum hoſtes ipſis ſubjecturus ſit: idque eodem & modo & inſtrumento quo ipſi populum ſuum antea oppreſſerunt & vexarunt. Gladium enim ab illis contra ejus populum è vagina extractum, in illorum

corda conversum & directum iri. Iam igitur arma non solum sumenda ad sanctorũ defensionem, sed etiam ad omnem injustitiam ulciscendam, quo terrâ ab omni impietate, injustitiâ, & violentiâ repurgatâ, pietas, justitia, & sanctitas earum loco vigeant regnentq; secundum illud apoc. 18. 6. Reddite ei &c. Huc etiam referunt quæ leguntur apud Es. contra Babylonios c. 13. & 14. Et apud Ier. c. 51. Et quę apud Ezech. prædicta sunt contra Gog & Magog c. 38. & 39. Item Matth. 15. 13. Omnis plantatio &c. Item c. 21. 41. Item alibi: Mittet servos suos qui illorum urbem incendant. Et Luc. 19. 27. Hæc & siquę alia sunt in sacris literis testimonia, quę hostibus populi Dei afflictionem & interitum innuant & minentur, hæc inquam, tam Batẽburgenses quam Monastterienses anabaptistæ pro suæ de regno Christi sententiæ confirmatione adducunt, & qui contra sentiunt ut Antichristos damnant, Contra Hofmannici & Mennonitæ hos ut furiosos & seditiosos latrones damnant, neque communem cibum cum illis capiunt. Ita & polygamiam illam novam veluti adulterium damnant. In cæteris vero anabaptisticis dogmatibus ferè conveniunt, nimirum: Infantium baptismũ esse veri baptismi abusum: Item de cœna Domini, de Incarnatione Christi, de libero arbitrio,

arbitrio, de poſſibilitate vel impoſſibilitate implendi mandata Dei: niſi quod Hofmannici ſuum baptizandi uſum haberent pro opere rudi & inchoato, duraturũ donec perfectior Spiritus S. virtus adeſſet, à qua jam jam præſens illud ſuperaretur. Quare & ejus uſum non admodum urgebant. Imo nemini ferè niſi anxiè flagitanti impertiebãt, Vbbone interim & Mennone ſuas functiones tanquam canonicas & ab Apoſtolis inſtitutas habentibus. Batenburgici omnẽ functionem rebaptizandi & abſolutionem impertiendi abrogaverant, dictitantes pacem & gratiam in terris fuiſſe ablatam ab eo tempore quo Ioannes Bucoldus Monaſterienſium Rex gladium quem regius adoleſcens per menſem in ſiniſtra manu portauerat, in dextrũ latus tranſtuliſſet. Eo enim ſignificatum fuiſſe, ſatis diu euangelii gratiam viguiſſe, eos jam inde ferro perituros qui illud hactenus repudiaſſent. Etſi autem in numerum filiorum cooptari non poſſent ii qui poſt illud tempus ſponte ſe Batenburgico populo ſubjicerent, tamẽ tales ad exemplum Gibeonitarum ab Iſraelitarum injuria & nece vindicatos, ipſis inſervituros.

Quamvis autem reliquię cladis in urbe Monaſterienſi acceptæ remiſſiores eſſent ad nova conſilia molienda, tamen doctrina illa tumultuoſa aliquamdiu in illorum hæſit

animo

animo, præſertim cum intelligerent paſſim ſupereſſe qui eandem doctrinā animo probarent & conſtanter tuerentur. Inter quos eximius erat Ioannes ille Batenburgus, qui affirmabat ſe ad inſtaurandum Chriſti regnum Monaſterii collapſum divinitus excitatum. Atque hinc facile apud eos, qui in eadem ſeditioſa erant expectatione in admirationem venit, quos in ſuam factionem perductos, poſtea eductabat aliquando, vt fana Divorum diriperent, & quicquid in pagis aut villis incuſtoditum offenderent, ſecum deferrent, aut etiam perderent. In delinquentes fidei ſocios ferro vindicabāt: in adverſariorum aut defectorū ædes clam aliquando irrepebant, vel etiam vi irrumpebant, & homines promiſcuè in cubilibus jugulabant: aut ædium foribus occluſis incendio ſuffocabant, aut ex ædibus eductos in arbores ſuſpendebant, atque hoc modo non ſolum ruſticis ſed et Satrapis ſe formidabiles reddebāt. Sed de huius hominis vita, doctrina, actis, certaminibus, & exitu alibi plenius ſcripſimus. Etſi autem Monaſterienſium reliquię magna erga alios à ſua fide alienos vterentur licentiâ, huic tamen factioni ſe adjungere noluerunt. Quare (vt & antea dixi) peſſimè illos traducebat Batenburgus tanquam ignavos, perfidos, & brevi cum aliis impiis mundanis trucidan-
dos

dos. Dum autem ita furerēt Batenburgenſes, exoriebantur & alii, viri & mulieres, eandem auctotitatē ſibi vindicantes. Inter quos quidam fuit aurifaber Ioachimus nomine, qui in urbe Inferioris Weſaliæ privatim per domos oracula promebat, & honeſtas familias ſibi devinciebat, donec apud Magiſtratum proditus, & in vincula conjectus, tandem capitis pœnā dedit. In utraq; Friſia, in terra Tranſiſellana, in Geldria, in Weſtphalia & alibi erāt doctores Monaſterienſium ſeditioſa dogmata probantes & inculcantes, qui tamen ſe huic latronum ſocietati non adjungerent. Hæc tamen & tam horribilis, ſed Chriſtiano orbi ſalutaris diſſenſio plurimum impedivit curſum ampliandæ ſectæ anabaptiſticæ. Qua de re aliqui cordatiores plurimum anxii & jugiter afflicti operam dederunt & tandem effecerunt, ut in quodā Weſtphaliæ vico convenirent omnes omnium partium primarii Anabaptiſtarum doctores, deque ſumma rei placidè conferrent.

Ex Friſia occiduâ venerunt Matthias Belkenſis, Tiardus Snekenſis, ambo ſenes: quorum poſtremus aliquanto poſt Leowardiæ capite fuit truncatus. Item Stewerdus Klerck, olim ludimagiſter, omnes jam ſepulti & lethæis aquis conſecrati. Ex Geldria & Tranſiſellana Ioannes Iuliacenſis,

Chriſtophorus & Henricus Sutphanienſis. Ex Angliâ Ioannes Matthias Middelburgē-ſis, qui poſtea Londini in Anglia ob anabaptiſtica dogmata Hofmanni profeſſa & defenſa exuſtus fuit. Item Ioannes Trajectenſis, è Trajecto ſuperiori, eodē poſtea fato in patria ſublatus. Ex Weſtfalia etiam aliqui venerunt. Ex Hollandia venit David Georgii Delphenſis & alii plerique. Ex Argentina nullus aderat, quod neſcio ex quibus ſomniis in itinere territi ſubſtiterant. Vbbo & ſui metuētes ne ſuæ vitæ ibi inſidiæ eſſent ſtructæ, non acceſſerunt. Batenburgus ſuſpicans ſuam doctrinam ibi damnatum iri, quoq; non acceſſit, ſed miſit quendam qui exploraret quid ageretur. Locus hujus conventus fuit in eâ Weſtfaliæ parte in qua eſt oppidum Buckholt. Ibi Monaſterienſium doctrina de polygamia & corporali Chriſti regno validè oppugnabatur, & omniū maximè à Ioanne Matthia Middelburgenſi & Io. Trajectenſi: Et Friſii illi cum Geldris & Weſtfalis non minus fortiter eam defenderunt. Adeo autem acriter diſputatum eſt, ut periculum videretur aliquando, ne Monaſterienſium doctrinæ defenſores in Hofmannicos illos irruerent, & cædē committerēt. David autem Georgii homo quietus & minimè pugnax mediatorem agebat in hac diſceptatione, nihil non tentans, ut di-

remta

remta lite vel aliqua tandem concordia ſtatueretur. Sed cum illud quod dixi morbi genus eo jam perveniſſet, abrupta demum actione interceſſione Davidis ſic tandem convenit: Quandoquidem in multis iisq; præcipuis dogmatibus anabaptiſticis idem ſentirent, & in duobus tantũ capitibus controverſia eſſet, abſtinendum eſſe ab omni acerbiori contentione. Et Deum orandum ut in hac controverſia lumen accendat, & concordiæ viam oſtendat. Deinde convenit, abſtinendum, atque etiam damnandam eſſe licentiam illam vindicandi injurias & judicia exercendi, pœnasq; capitales de reis vel ſontibus privatim ſumendi, fana diripiendi &c. Item uſum anabaptiſmi à Batenburgenſibus ad tempus ſuſpenſum, impertiendum illis de quorum pietate conſtaret.

Et hujus tranſactionis auctor & conſcriptor fuit David Georgii Delphenſis. Erat quidem ejus nomen jam antea celebre per Hollandiam apud eos qui à vulgata religione abhorrebant, ex eo quod multas cantilenas per rhytmos ediderat, & magno vitæ ſuæ periculo in ſolemni luſtratione, in qua panis ille myſticus, ut vocant, circumferebatur, toti pompæ obverſus ſodalitium ſacrificulorum appellaverat & horrendæ idololatriæ accuſaverat, ſenatum etiam una cũ civibus præſentibus admonendo ut reſipiſcerent

cerent & pœnitentiam agerent. Quamobrem & in vincula conjectus, & ad tempus detentus, tandem aliquorũ Senatorum favore ſublevatus & liberatus eſt. Ejus lingua in facti pœnam à lictore fuit perforata. Poſtquã vero receſſum fuit à colloquio illo Weſtphalico, & paſſim prædicaretur Davidem Georgii mediatorem egiſſe in illa actione, & aliquam tranſactionem ejus potiſſimum operâ diligentiáque inter diſſidẽtes partes fuiſſe factam, cœpit ejus nomen celebre fieri apud omnes ubiq; anabaptiſtarum partes. Emiſit poſtea ſcriptum in quo de controverſis capitibus ita diſputabat, ut veluti medius incedens varietati opinionũ mederi conaretur. Qua diligentiâ utriusq; partis odium in ſe concitavit. Batenburgus enim dicebat, quod prætextu & illecebrâ concordiæ animos redderet ambiguos, & inde remiſſiores ad arma ſumẽda pro Chriſti regno reſtituendo. Atq; hinc Davidem vocavit Abſalonem, qui blanditiis animos anabaptiſtarum furtim ſibi conciliaret, & ſe divinitus miſſum impediret, opuſq; illud divinum jam fœliciter cœptum retardaret, atque homines ad defectionem ſollicitaret. Hofmannicis vero in ſuſpicionem venit, quod idem ageret & moliretur quod Batẽburgus, niſi quod hoc ſuum inſtitutum callidè tegeret: aut certè, quod nimio concor-
diæ

diæ studio concederet quædam Monasteriensibus quæ sine jactura veritatis concedi nequirent, atque ita Batenburgensium insaniam juvaret, potius quam impediret. In reprehensionem itaque venit utrobiq; tum liber tum auctor. Et hæ quatuor sectæ tunc temporis grassatæ sunt aliquamdiu, ex quibus hodie duæ supersunt, Batẽburgica videlicet & Mennonitica. Nam reliquiæ Hofmannicorum & Monasteriensium, aut jam defuncti sunt, aut ad ecclesiam redierunr. Mennonitarum numerus major est, quippe diffusus per totum tractum maris Balthici & Oceani Germanici. Quanquam & ea paulatim in partes & factiones dissecta dicitur. His vero tunc temporis accessit secta Davidica, de cujus origine nunc dicendi locus est. Quæ ut plenius & certius cognosceretur., hæc quæ simul cum ejus origine coinciderunt præmittenda putavi: nimirũ, in quibus capitibus extiterint inter has sectas de religione dissensiones, & contineantur, unde primum ortæ, quibus de causis auctæ, & ad illud usq; tempus Davidici negocii perductæ fuerint. Audiamus igitur nunc, quibus rationibus Dav. Georgii hanc controversiam tollere, & plenam & solidã concordiam inter has dissentientes partes constituere, omnia restituere, vel potius malum malo sanare aggressus sit. Nam ob

hanc causam se divinitus missum esse asseverabat.

De Origine & progressu sectæ Davidicæ, Narratio ex ejus libris bonâ fide collecta.

FVndamentum totius negocii nititur revelationibus, quas sibi accidisse ait in sua officinâ sedentariâ, vel in ædium suarũ conclavi, idq; tertio aut quarto mense post illud Westphalicum colloquium. Nam in eo, ut apparet, omnium partium voluntates exploravit & investigavit. Et quia cogitando quid in utramq; partem dici posset animus adhuc incertus fluctuaret, nihilq; certi statueret, cœpit se assuescere severiori vitæ generi quam antea consueverat, & se prorsus consecrare iejunio & precum assiduitati continuandæ, sicut se fecisse alicubi narrat. In hoc studio minimè consueto dum pertinacius perseveraret, certo quodam die factum fuisse, ut ad suam sedentariã mensam stando, sibi ipsi ereptus, mente cerneret primo puerulos aliquot manibus plaudentes, tripudiantes, & omne genus lætitiæ argumenta ostendentes, quibus puerulis postea totius orbis Reges & Monarchas supplices factos, omnia sua ornamenta tradidisse, se suaq; omnia illis subjicientes. Deinde vidisse

Cum autẽ is homo cerebrum haberet imbecillũ & iccirco omnis inediæ impatiens neq; tamen inferior haberi vellet Monasteriensibus & Batenburgẽsibus anabaptistis, qui nonnũquam Per totum triduum, aliquãdoquatriduum ab

disse postea in opposito pariete mulieres nudas hætentes, quibus conspectis se exclamasse: O Domine, nunc omnia possum intueri purè. Omnia enim puris pura. Tertio in spiritu vidisse has mulieres conversas fuisse in columbas, se vero in columbũ transformatũ coiisse cum illis easq; impraegnasse.

Habes pie & cordate lector hujus novæ doctrinæ fundamentum & basim. Nunc videndum est quam & qualem structuram huic fundamento imposuerit, quibusque tibicinibus eam fulciverit. Hoc est, qualem & quam portentosam disciplinam inde extruere enixus sit, & multis etiam imperitis persuaserit. Nam universa ejus doctrina, quam verbum perfectionis vocat, & postea in libro cui titulum dedit librum perfectionis, alii librum prophetiæ, complexus est, nititur his spectris & vertiginosis ludibriis. Nunc is idem liber nobis hic esset enarrandus & excutiẽdus, sed quia ejus, ut reliquorũ omniũ, sermo est admodum perturbatus, & sine ordine ultro citroq; currit, adeo ut multi Oedipi ejus germanam sententiam, nisi antea admoniti & instructi ab iis qui ejus phrasim intelligunt, assequi non possent, visum fuit mihi operæ pretium si universam ejus disciplinam in certa aliquot capita & articulos digestam, eorumq; sensum germanum meo more meisque verbis

omni abstineret cibo & potu, mihi aliquoties in mẽtem venit, eum stulta æmulatiõe incitatum incidisse in vertiginem, eaq; occasione Sathanam ei objecisse hæc spectra & ludibria. Sed de ea reviderint ejus discipuli.

 expri-

exprimerẽ, quò ſic ad ejus ænigmata meliùs intelligenda viam præpararẽ lectori ejus phraſis imperito aut non aſſuefacto. Et poſtea eodem ordine adjicerem ſingulorum articulorũ pleniorem explicationẽ ex illius libris bona fide collectam, ne ſuperſtitioſior aut iniquior ex ea factione aliquis quicquam callidè à me circumſcriptum inverſumq; conqueri, aut fidem ullo modo in me deſiderare poſſit.

Vniverſa doctrina vel hæreſis DAVIDIS GEORGII, *ex multis & variis ejus libris & epiſtolis in certa aliquot capita luculenter & compendiosè contracta.*

ARTICVLVS I.

PRincipium ejus doctrinæ tale eſt: cœtum vel ſectam confœderatorum vel anabaptiſtarum An. 1534. in inferiori Germania per Melchiorem Hofmannum Suevum pellionẽ & ejus ſectatores inſtitui cœptam & deinde longè latéque propagatam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, & germanũ Dei populum, in quo & per quem Chriſti regnum in prophetis ſub Davidici regni appellatione promiſſum in terris conſtituendum ſit, omniaq; prophetarum promiſſa in actum deducenda & implenda.

Lege lib. de triplici ordine Dei. Item, epiſtolam ad Io. Batenburg. in lib. perfectionis.

ARTICVLVS II.

Hunc anabaptiſticum populum eſſe parvulos illos de quibus Zacharias c. 12. 7. vaticinatus prędixit futurum ut paſtore percuſſo, ovibuſque diſperſis Deus ad parvulos ſuas converteret manus. Monaſterienſęs & Batenburgicos anabaptiſtas, quemadmodũ & Hofmannicos & Mennonitas eſſe duas illas partes quas in omni terra futuras idem propheta eodẽ loco prædixerit, quod diſpergerentur & deficerent: Tertiam vero partem (Davidicam ſ. factionem) in ea relinquendam, & per ignem ducendam atq; ſicut aurum concoquendam.

ARTICVLVS III.

Hanc tertiam partem eſſe illum numerũ qui ex duabus hiſce potiſſimum factionibus ejus doctrinæ fidem eſſent adhibituri. Hos enim per igneam ejus doctrinam & ſeverã diſciplinam ab omni judicii errore & prava concupiſcentia vindicandos, liberandos, & primæva ante lapſum naturæ integritate, innocentiâ, juſtitiâ & ſanctitate abſolutâ ornandos & locupletandos.

ARTICVLVS IV.

Hoc opere ejus ministerio in illis perfecto, totum terrarum orbem subjectum & supplicem futurum, & omnem potestatem illis traditurum, idq; sponte ac voluntarie, sine ullo bellico apparatu, sola acclamatiõe, Deum enim suæ omnipotentiæ argumentũ manifestum ostensurum, nimirum in re tam imbecilli subversurum tot & tantos hostes, qui velut vindices se illi hactenus opposuissent.

* Lib. perfect. a. 2. f. 8.

ARTICVLVS V.

Batenburgenses anabaptistas, qui magno zelo hactenus se in hostes suos vindicent, homines & fructus terræ perdant, omniaq; pro virili vastent, esse angelos illos de quibus dicitur in Apoc. c. 7. quod datum sit illis nocere terræ, mari, & arboribus: Davidem vero esse angelum illum de quo eodem loco dicitur, quod ipse præceperit quatuor illis vindicibus, ut amplius non nocerent terræ neque mari, neq; arboribus, quoadusque signasset servos Dei sui in frontibus suis.

Lege epist. 1. ad Batenburg. scriptam.

ARTICVLVS VI.

Anabaptiſtas jam dictos propter Chriſtum per Spiritum S. nunc quidem in rebaptiſmo eſſe regenitos, veluti infantes ſed hanc cœptam innovationẽ ad adultam ætatẽ & perfectam ſenectam eſſe perducendam ſuo potiſſimum miniſterio. Sibi eum modum & rationem ad hanc perfectionem per veniendi eſſe revelatã per viſum quoddam diurnum, & ſomnia quædam nocturna in medio Decembris An. 1536. viſionem diurnam jam antea narravimus. Earum viſionũ hanc in ſumma eſſe inrerpretationẽ:

Lege diſputationem inter eum & Hofmãnicos habitam Argentinę An. 1538.

ARTICVLVS VII.

Pudorem genitalium membrorum in Adamo per tranſgreſſionem contractum, & in pœnam peccati relictam, jam eſſe edomandum & profligandum: & omnes homines hac ratione primævæ in paradiſo ſimplicitati & innocentiæ reſtituendos. Proinde omnes anabaptiſtas, qui in ultimum hunc ſeculorum terminum inciderunt, operam dare debere ut hunc membrorum genitalium pudorem ex inobedientia contractum per fidem & obedientiam in Chriſto & per Chriſtum expugnent, ſuperent, & prorſus profligent veluti fructus & opus diaboli.

Lib. perfect. f. E. b, item f. 1. 2. 3. 4. 5.

ARTICVLVS VIII.

Adhæc, omnia peccata quorum anabaptistæ sibi sine conscii & quæ diligenter cogitanti & sese excutienti in mentem veniunt, in hoc spirituali anabaptistico cœtu palam & liberè proloquenda, & simpliciter tanquam coram Deo aperienda, ad ipsorum contumeliam, ignominiam & confusionẽ. Hanc confessionem iterum atq; iterum repetendam & iterandam, ut hac ratione omnis gloriatio & superbia crucifigi, simulatio & fucus excuti, Dei autem gloria, & suæ misericordiæ laus & magnitudo inde illustrior reddi possit. In lib. perfect. seu prophetiæ B. 3. 4. 5. 6. 7. 8. In disputatione Argentinæ habita. An. 1538. Et hæc est veluti explicatio nudarum mulierũ in pariete hærentium. Nunc audienda sunt mysteria elicita ex congressu columbi cum columbis.

ARTICVLVS IX.

Ad hanc perfectionem venire contendẽtibus, post hac abstinendum à congressibus conjugalibus, & in pœnitentia & veniæ diprecatione opisq; Sp. S. imploratione uberioris perseverandum, donec omnis uxoria voluptas intemperantior planè fuerit repressa subactaq;, succedatq; tantus rerum

cœleſtium amoris ardor, ut illis cupiditatibus planè mortui & alieni videantur. Atque ita zelo & ſtudio cœleſtium rerum accenſos ac inflammatos coire debere amore ſanctæ prolis conſequendæ. Tum enim ex talibus naſcituram ſobolē nunquam defecturam, quippe in utero matris ſanctificatam, ex qua facies terræ renovari poſſit.

Lib. perfect. a. 7. 8. B. 1. 2. item in libello de matrimonio, & alibi.

ARTICVLVS X.

Omnes qui communi more naſcuntur ex parentibus ad hunc modum non inſtauratis, eſſe apoſtatas, & adulteram progeniem illegitimi thori: qui à maledicto eunt in æternum interitum, idq; cum parentibus & omnibus quicunque illis adhærent. Hinc eos temere & fruſtra naſci, & tanquam zizaniam extra Dominum in carne prodire.

In lib. perf. A. 8. & B. 1. item in libello de matrimonio.

ARTICVLVS XI.

Vſum coniugalē qui fit cum mulieribus quæ in utero conceperunt, aut cum mulieribus quibus concipiendi ſpes non eſt, eſſe honeſtam fornicationem.

In ep. quadam ad viduam ſcripta. Item in majori apologia.

ARTICVLVS XII.

Minimè damnandos esse qui primæ uxori & alias adjungunt, eo fine & respectu ne se in somniis polluant effusione seminis, aut rem habendo cum muliere quæ jam conceperit aut effœta sit.

In ead. ad viduam ep. Item in lib. de œconomia. Et in respons. ad libellum Io. Eisenburg.

Hæc dogmata in genere proposita fuerũt omnibus anabaptistarum doctoribus. Quæ enim sequuntur solũ proposita fuerunt ejus sectatoribus iisque primariis, & quos sibi impotenter addictos noverat.

Mysteria sectæ Davidianæ tantum primariis & ei maximè addictis patefacta.

ARTICVLVS XIII.

Qui in jugi hac pœnitentia & adversus concupiscentiarum illecebras dimicatione perseverantes tantum profecerunt, ut jam uxoria, voluptate sua sponte non moveantur, non inardescant, tales se quieti, quasi jam sit debellatum non tradant, sed ulterius eluctenter, donec ad eam mentis firmitatem & Spiritus robur veniant, ut infirmata concupiscentia, & defæcatis carnis affectibus, eorum oculi Sp. S. imperio ita

ſint ſubjecti, ut repreſſis cupiditatum illecebris poſſint membra genitalia non ſolum intueri, ſed & penetrare &c. idque ſine carnis titillatione, ut qui huic uxoriæ voluptati planè mortui videantur. Iuxta illud Eſ. 11.8.9. Item Iob. 40.19.28. atque huc refert dictum Ioan. 1. ep. 3.8. putabat enim veneris intemperantiā tanquam diabolum quendam laſcivum arte quadam probationis evocandam, eliciendum, quemadmodū aves alliciantur eſca, delinitæ capiuntur & occiduntur. Ita & cætera vitia omnia elicienda, provocanda, iritanda & veluti inflammanda, quo ſe prodant, & prodita jugulentur.

In lib. perf. oblique a. 5. Item in lib. cui tit. eſt: Hæc ſcripta ſunt ad ſapientes.

ARTICVLVS XIV.

Qui autem in jugi pœnitentia & aſſiduo contra hos carnis ſtimulos, motus & aſſultus certamine eo progreſſi ſunt ut omnem coitum & uxoriam voluptatem negligere poſſe videantur, eos deinde ulterius eluctari oportere, ut libenter videāt, atq; etiam flagitent, ut ejuſdem religionis ſpiritualis frater eorum uxores in poſſeſſionem ſumat, cumque ea congrediatur ipſo id conſpiciente Hæc prius animo atq; voluntate conſideranda, perpendenda, diſcutiendaque,

donec

donec animus in amore divino incalescēdo in actum prorumpat, uxores tradat spiritualibus confratribus, ad hoc negocium excitandū & promovendū veluti angelis messis divinitus emissis. Iuxta illud Matth. 13. 41. Hujus autē proprietatis affectionalis veram abnegationē & absolutam mortificationem esse mortē quam D. Paulus 1. Cor. 15. 26. vocat hostem ultimum in fine seculi destruendum: quo victo Davidianos spiritu, animo, corpore planè puros, sanctos & perfectos futuros: & liberos educturos in utero matris sanctificatos, & inter omnes gentes agnoscendos, quod sint generatio sancta & germen justum. Es. 65. 23.

ARTICVLVS XV.

Hos exemtos esse legibus omnibus tum conjugiorum tum consanguinitatū & affinitatū. Quos autem gradus intelligat, veluti enumerando particulatim exprimit: paternitatem inquam, materniratem, fraternitatem, sororitatem: breviter omne hoc discrimen ex legibus ortum, omnem singularitatem & proprietatem cessare & evanescere. Hæc in lib. qui tit. habet: Hic omnis caro & gloria ejus disperibit. Ad hos enim pertinere statum illum de quo Christus ad Saducæos ait, Luc. 20. 35. 36. Christum enim hic loqui non de cessatione procreationi

oni

onis liberorum, ſed de ceſſatione obligationum matrimonialium, proprietatum, graduum, conſanguinitatis & affinitatis. Reſurrectionẽ de qua Chriſtus hic agit eſſe ſpiritualem, nimirum defæcationem mentis ab omni carnis affectu, eam jam jam affuturam, & novum ſeculum conſtituturam, à quo prius illud ſeculum literale & legale arguetur. juxta illud Ioh. 16.8.

In lib. de angelico matrim. qui ſic incipit: Nunciate religioſis &c. Item in lib. Mirab. 2. parte in art. de ſtatu virginũ.

ARTICVLVS XVI.

His nullam legem ponendam, quando & cum quibus mulieribus corpora miſceant: neq; hujusmodi Sp. Sancti opus in talibus ullo modo impediendum. Tales enim, quia Spiritu Dei agantur, non poſſe aberrare vel exorbitare. Hujus autem commixtionis uſũ & finem eſſe debere, ut tum ſe tum alios explorando, ſuam in hoc genere belli & luctę in Chriſto poſſibilitatem vel impoſſibilitatem intelligentes, aut gratias uberiores agant, aut in pœnitentia & precationibus ardentius perſeverent, nec ſibi perſuadeant ſe eſſe quod non ſint, nec eſſe adhuc digni ſint. Poſtremo ut cogitent, cum quanto & quali hoſte domeſtico ſibi ſit pugnandum, ut ſtudioſius opem Sp. S. implorent, & vigilan-

gilan-

gilandum instandumq; sciant, ut carnem suam cum vitiis & concupiscentiis ad plenã victoriam crucifigant & mortificent, atq; ita demum gloriosa filiorum Dei libertate plenè frui possint.

In respons. qua expeditur hæc quæstio: quomodo quis se gerere debeat, si cum muliere non sua uxore in uno & eodem lecto sibi sit dormiendum.

ARTICVLVS XVII.

Tales igitur posthac fidem suam conjugalẽ addicere non debere, aut mulierẽ cum viro aut mulieri virũ, conceptis vid. verbis & solenni more. Deum enim arcano Sp. sui motu effecturũ ut simile simili adjungatur, angelica vid. mulier angelico viro, nullaq; inæqualitas Spiritus & morũ amplius appareat in conjugibus. Hæc in lib. cui tit. est: Nunciate religiosis. Sed interim dum hæc temporis plenitudo & perfectio desideratur, si præsens imperfectum tempus aut usus flagitet, ut quis sibi comparem asciscere, & liberorum accessu locupletari desideret, is aut maritus uxorem, aut uxor maritum adjungat, veluti sororem aut fratrem, cujus usus fructus illi concedatur ad tempus, non in perpetuum: neq; ut marito aut domino, sed veluti fido œconomo, ductori, & oculato curatori, diligentique curatori. Vocabula

Uxores in secta Monasterien si suos maritos voca-

bula enim illa, maritus, dominus, esse authentica, ideoque in nullum propriè & absolutè competere quam in (Davidem) Christum Domini. Cæteros vero qui similiter sentiunt & affecti sunt, se aptius fratres & sorores salutare compellareve debere quam viros aut uxores. Quicquid enim se Deo & huic & Christo semel devoverit atque se in ejus tutelam tradiderit, id à nullo homine in terris possideri, aut in proprietatem vindicari, aut legibus in servitutem implicari & obligari debere, propterea quod Christo (David) obligatum sit atq; devotum. Quicquid idem Dominus in Christo (David) permittit, jubet, & liberum facit, id citra dignam reprehensionem seu criminationem fieri posse, eatenus tamen, quatenus ille (Christus David) permittit, neque ulterius. Omnes itaq; uni capiti uniri, conglutinari, & ad unum Dominum & pastorem (cui nomē Christus David inditum) [hæc ejus verba sunt] reduci debere. Hunc enim verum Dominum & patrem omnium futurum, eaque appellatione salutandum, juxta canonē illum: Qui te fecit vir tuus est. Es. 54. 5. Deum autem hoc requirere ab omnibus qui domestici ejus esse volent, & hunc mundū & carnē obscurabunt & pudefacient: Qui mundani, dum extra Christum procantur, nubunt, nuptum dant, elocantur: carnem

bāt domini nos, ad exemplū Saræ 1. Pet. 3. hoc reprehendit David hoc loco.

carni

carni propter vel voluptates vel divitias vel honores copulant & hisce rebus immersi pereunt. Hæe fere de verbo ad verbun ex libello de matrimonio edito Anno 1541.

ARTICVLVS XVIII.

Quemadmodum autem animi in affectibus illis venereis mortificādis variè sunt pertentandi & sollicitandi, donec defæcati & repurgati fuerint, ita & in abnegatione vel abdicatione proprietatis externarū facultatum & aliarum rerum eosdem animos explorari oportere. Cum enim Deus hoc nostrum seculum vidisset longe corruptissimum, ipsum ex tota illa massā delegisse unā quandam quasi stirpem aut hominū genus (Davidianos scil.) in quo suæ bonitatis specimen ederet, atque seipsum gloriosum & omnipotentem exhiberet, & in illos conferret quæ per ora prophetarun ab initio futura promiserat. Ab hoc igitur populo requiri ut hunc præsentem mundum, nimirū consanguinitatem, vel genus, affinitatem, agrorum facultates, aliarumque corporaliū rerum proprietatem exuant, & spiritualibus pauperibus tradant, atq; ita nudi in hoc novum seculum (factionem scil. Davidianā) immigrent, ejusq; voci (ad talem societatem per Christum Davidem eos vocānti) obediant, confidant, veracem ducant. Tum

enim Deum effecturum ut omnes terrarum populi agnoſcant hunc (Davidicum cœtũ) eſſe germanum ejus populum, ſe vero eorũ eſſe Deum, qui eum peculiariter poſſidere, regere, deducere, curare, & per illum ſuam omnipotentẽ manum illuſtrare, & per univerſum mundum notam facere velit. Hanc diſciplinam ad multa utilem eſſe huic novo populo. Primo, illis hic offerri materiam exercendæ fidei, an Deo, eos hodie ad harũ rerum abdicationem invitanti & vocanti, per fidẽ obtemperare parati ſint: An etiam ad exemplum Abrahami libenter omnia deſerere, & omnem fortunã ſubire, & quemvis eventum patienter expectare velint cum hoc novo populo, vel potius Chriſto Davide. Secundo, per hujus diſciplinæ obedientiam offerri materiam humilitatis exercendæ, ut nunc omnia à Deo per aliorum (Chriſti vid. Davidis) manus velut precario accipiant, idque aliquando frugalius & tenuius quam vellent, aut ſe dignos judicent. Hanc ſpeciem pleriſq; nimis vilem & abjectã videri, & propterea fortaſſis malle vivere vel ex patrimonio, vel ex hæreditariis bonis, vel ex iis quæ vel labore manuũ, vel aliis negociationibus comparantur &c. atq; ita ſe prodere ambitionẽ & ſuperbiam, quæ ad hunc modum illecta & prodita, jugi precatione & pœnitentiâ jugulanda & pro-

fliganda venit. Tertiam utilitatem esse in eo, quod & mens ejus qui hæc bona sibi delata & dedicata dispensat, etiam exploretur, an inrer accipiendum & dispensandum seipsum palpet, titillet, insolescat, alios negligat & despiciat. Deum post hanc explorationem facturum separationem inter veros & falsos, fucatos & integros, omniaque abundanter & affluenter addicturum iis, qui ut hoc novum Dei regnum & justitiam ejus obtineant, omnia reliquerunt & abdicarunt. Eos vero qui se in hac rerum abdicatione difficiles & infideles præstiterint, aliquid sibi reservando, quantumvis id exiguum minimique pretii fuerit, gravi pavore percellendos, & ingenti stupore atq; anxietate vexandos à Deo, suæ infidelitatis & diffidentiæ reputatiõe & memoria.

In lib. qui tit. habet: Qui Christum sequi & discipuli ejus aut sint aut esse velint.

ARTICVLVS XIV.

In his prædictis rebus abnegandis, mortificandis, & abdicandis se præstare & exhibere integrum & sincerum, obsequentemque, esse juxta apostolicam doctrinam quiddam magnum & perfectum: sed hoc præsenti tempore ab hoc novo populo majus quiddam requiri, propterea quod major

quædam

quædam ſapientiæ lux ſit prodita, & copioſior, vel potius nova quædam ſit addita gratia, nimirum ut Deo (in hoc ſuo Chriſto David) verè & perfectè credant, hoc eſt, nihil ſui vel ſuarum rerũ ſibi reſervent, ſed quicquid vel ſunt, vel habent, vel acceperunt, tam ex natura quam ex gratia atq; fide tum legis tum euangelii, aut Ieſu Chriſti ſecundum carnem, libenter pro ejuſdem Dei & Chriſti Davidis nomine periculo exponere & amittere; & plura etiam præſtandi avidũ eſſe, hoc eſt, paratum eſſe pro hoc Chriſto Davide ſubire nomen & famam ſcelerati & flagitioſi: idq; non ſolum aliorum, ſed & ſuorum ipſorũ judicio. Hanc eſſe internam & myſticam Chriſti afflictionẽ, non ſolum aliis, ſed & ſibiipſi eſſe abominationem, & admodũ ſcorti adulteri ſumma cum ignominia, hoc eſt, omni humana & literali juſtitiæ & caſtitatis gloria ſedere deſtitutum. Hæc in libello: Qui Chriſtum ſequi, & qui ejus diſcipuli &c. Huc etiam retulit locum Eſ. 54, 6. Item c. 52. 14. Admirati ſunt ſuper illum (ſcil. Chriſtum Davidem) quod &c. & c. 53. 2. 3. Etſi igitur hæc vera Chriſti ſponſa propter ſocietatem ſui ſponſi Chriſti Davidis, & ſuorum dogmatum approbationem & praxim omnibus hominibus (hoc eſt, reliquis Chriſtiani nominis ſocietatibus) ſit & abominatio & execratio, adeo ut

 averſa

aversa facie dorsum ei obvertant, eam tamen nulla alia vel consolationis vel benevolentiæ, vel observantiæ signa aut admittere aut quęrere, aut etiam expectare à quoquam aut aliunde, nisi quatenus hujus Christi Domini gloriã illustrent: Illum magis amantem, venerantẽ & colentẽ quam seipsam, aut quemquam, aut quicquam, sive id naturale sive literale sit. Hanc firmam in Deo habere fiduciam, non in se ipsa aut in aliis. Hos vere defæcatos esse ab omni carne mystica. Hæc admodũ tectè tradita sunt in libello de pedum lotione. Item in libello cujus titulus est: de vera Christi Ecclesia, & qui sint verè hæretici. Vbi sic facit discipulum cum suo magistro loquentem: Iusta sanctaq; civitas sive sponsa Christi destituetur in obscuro, sedens quasi meretrix aut adultera, convenitq; eam pessundari turpiter, spernique, & pro nulla, proque nihilo haberi ab omnibus aliis societatibus. Postquã enim verus Christus nunc demum verè ac re ipsa seipsum in lucem emisit sua præpotenti & sempiterna doctrina, & in nostros tenebricosos animos tanquam lucifer quidam sese penetravit, facile est perspicere ejus corpus, sponsam, ecclesiam, civitatem fore qualis ipse fuit in mundo, tanquam rosã inter spinas. Talis est hæc charissima fœmina inter mulieres reliquas, hoc est ecclesias,

Ex alio quodam libello hujus auctoris hæc in hũc locum asscripta inveni: & hæc est mystica illa & admirãda Davidis Georgii disciplina, de qua ipse tãquã è tertio cœlo allata tã gloriose & thrasonicè loquitur, quod videlicet ea nũquã in ullius hominis vel angeli mẽtẽ inciderit. Eam enĩ reservatam fuisse postremis

clesias, quæ ex sua propria & literali sancti- tate (nota benè) eam ferre nequeunt. Itaq; eam habent pro meris tenebris, perinde ac simulatricem, deceptricem, & omnium im- probissimam ac sceleratissimam, & maximè damnandam. Hactenus ex variis opusculis collegimus summas doctrinæ vel hęresis Davidianæ in articulos 19 redactas: Nunc ad eundem modum percurremus vastum il- lud volumen libri Mirabilium, cujus hoc est præcipuum argumentum.

seculis in quibus, septima illa in Apocal. tuba perso- naret & clangeret, qua disci- plina incla relcēte ob- scuraretur et antiqua- retur apo- stolorū et prophetarū doctrina, quemadmo dum no- cturna lu- mina ces- sant sole coruscāte. Hac doctri na totū or- bē illustrā- dū, refor- mādum, et primævo ante lapsū primi ho- minis sta- tui integre restituēdū. quemadmo dū clarius intelligi- tur ex lib. Mirabiliū.

Argumentum libri Mirabilium.

DEum jam ab initio secum statuisse hu- manæ salutis opus perficere, hoc est, seipsũ exhibere & revelare hominibus tri- bus & vicibus & modis, quemadmodũ cu- jusque hominis statum tribus ætatibus ab- solvit, nimirum per infantiam, adolescen- tiam & adultam ætatem- Primam revelati- onem & exhibitionem factam fuisse sub A- brahamo, Mose, & prophetis, tanquam in pueritia. Secundam vero sub Ioh. Baptista, Iesu Christo secundum carnem, & aposto- lis, tanquam in adolescentla. Tertiam jam subolescere in Christo Davide & ejus secta- toribus, tanquam in adulta ætate. Primam fuisse umbratilem, secundam tanquam cor- poralem, tertiam hanc præsentem esse spi- ritualem. Et quemadmodum umbra à cor-

pore, corpus à ſpiritu ſuperetur; Infantia item minus præſtans ſit quam adoleſcentia, adulta autem ætas his omnibus præſtet & humanæ perfectionis veluti complementũ ſit, Item charitas major ſit fide & ſpe: ad eundem modum & hanc præſentem revelationẽ, quam perfectionis ſpiritum vocat, multis modis ſuperare ſuperiorum ætatum revelationes, & eſſe omnium rerum divinarum quæ revelandæ erant veluti complementum. Hic enim ſe Deum exhibere non umbris, typis, & figuris involutum, neque item corpore indutũ, ſed ſimpliciter & nudè, & ſicuti Ioh. ait, qualis in ſe eſt, & ſecundum Paulum, facie ad faciem, & iccirco hanc exhibitionem obſcurari, corrumpi aut auferri non poſſe, ad exemplum ſolis, cujus lux extingui non poſſit, quemadmodũ nocturna lumina candelarũ, faciũ &c. obſcurantur & extinguuntur. Hanc triplicem exhibitionem declarare & illuſtrare conatur ex V. T. typis, ubi in tabernaculo fuit atrium, ſanctum, & ſanctum ſanctorum. Item in tribus ejuſdem tabernaculi diverſis locis in quibus requieverit, ut tempore Moyſis in deſerto, tẽpore Ioſuæ, Samuelis &c. in Silo Davidis ſeculo & poſtea in Ieruſalẽ. Hanc triplicem revelationem etiam adumbratã fuiſſe in omnibus V. T. primariis viris, ubi plerumque tres ſibi mutuo, diverſis tamen

temporibus ſucceſſerunt: quemadmodum Adamo ſucceſſerit Seth, Setho Noah. ſic tres patriarchas continua ſerie ſibi mutuo ſucceſſiſſe, Abrahamum, Iſaacum, Iacobū. Rubenem, Iudam, Ioſephum. Moſen Aaronem, & Ioſuam. Ieſſe, Davidem, & Salomonem. Sealthielem, Zerubabelem, & ejus temporis ſummum ſacerdotē Iehoſuā. Et quemadmodum in cognitione, officio & gloria tertia domus, tertia manſio, tertia perſona cæteris præcedentibus præcelluerit, ita & hunc ſpiritum vel hanc revelationem omnes præcedentes antecellere. Sic Noham fuiſſe primum atque totius novi ſeculi veluti ſeminarium, judicem atq; principem. In Iacobo prius conſpicuè apparuiſſe documentum promiſſionis de numeroſa ſobole, cum duodecim poſt ſe reliquerit filios, ex quorum tribubus innumera multitudo poſtea educta ſit. Sic Ioſuam populum Iſraeliticum perduxiſſe in terram promiſſā, quod Moſi & Aaroni negatum fuiſſet. Ita regnum Iſraeliticum illuſtre factum ſub Salomone. Zerubabelem celebrem factum ex templi inſtauratione. In hoc itaq; ſpiritu vel revelatione ſe nunc prodere Schilo. Gen. 49. 10. de quo dicitur quod ſit expectatio gentium. Hic ſe jam exhibere ſpiritualem illum Ioſephum, de quo eodem c. oraculum extet v. 23. 24. ē 5. Quemadmo-

dum autem Iosephus divina sapientia mysteriorum Dei imbutus curavit sua iudustria ut non solum totius regni Ægypti aurum, argentum, & preciosæ res quæq;, sed etiam jumenta, agri, & ipsi homines tandem subjicerentur Pharaoni, ad eundē modum jam totum Christianum orbem ex abundantia oraculorum spiritualis Ioseph (Christi Davidis vid.) penes se tantam demum sensurū judicii inopiam tantam donorum ad salutē necessariorum carentiam, ut se hujus spiritualis Iosephi, Salomonis, Danielis, hoc est Christi Davidis Deo libenter subjecturi sint; atq; cum Ægyptiis dicturi: Salus nostra in manu tua est, respicias nos tantum, & læti serviemus Regi &c. præter Danielis Deum nullus est Deus.

Ismaelem, Esaiam, Rubenem, Manassē denotare Iudaismum, & literalem Christianismum: Isaacum vero obedientem, & Iacobum sapientem, Iudam fortem, Iosephū solertem & industrium, Ephraimum felicē, adumbrasse postremum hunc Christum Davidem & ejus populum: & propterea ad eū pertinere oracula per Bileā prodita. Num. 23. 9. 10. 21. Item Es. 60. Ier. 30. 31. 32. Ezech. 34. & 37. Hic se jam prodere magnum illum prophetam à Mose prædictum deut. 18, 15. Item eum de quo vaticinatus sit David 2. Sa. 7. 13. 16. Itē illum de quo

pſ. 45, 3. 8. ad quem dictum ſit pſ. 2. 7. 8. Item illud de quo pſ. 89. 21. 22. 30. Item ſacerdotem illum ſecundum ordinem Melchiſedech. pſ. 110. 4. Item promiſſum illũ Immanuelem Eſ. 7. 14. lapidem offenſionis Eſ. 8. 14. puerum natum Eſ. 9. 6. Item virgam illam Ieſſe Eſ. 11. 1. 2. 10. Item levem illam nubem Eſ. 19. 1. Item eum de quo idem Eſ. 25. 9. Item eum qui ſuſcitandus ſit ab aquilone Eſ. 41. 25. de quo idem c. 41. 1. & c. 44. 8. & c. 45. 1. 4. 14. 23. (Nomen David ſibi contigiſſe fataliter dicebat) & c. 45. 1. 2. & v. 5. 6. 7. 23. Item de quo idem c. 52. 13. & c. 53. 2. & c. 55. 4. 5. & c. 59. 20. & c. 61. 1. & c. 63. 1. 2. 3. Item hic ſe prodere germen illud Davidis, de quo Ier. c. 23. 5. 6. & 33. 15. Et poſtea illum de quo Ezech. 34. 23. & 37. 24. Item lapidem illum ſine manibus abſciſſum. Dan. 2. 45. Antiquum dierum. Dan. 7. 1. Item caput illud unicum de quo Oſ. c. 1. 11. Item deſiderium omnium gentium. Zerubabelẽ illum, de quibus Agg. c. 2. 8. 24. Ezech. 4. 7. & 6. 12. 13. & 9. 9. & 13. 1. Item eum de quo Mal. 31. & 4. 5. Item leonem reprehendentẽ aquilam 4. Eſd. 11. 37. Item eum de quo 4. Eſd. 13. 2. 3. 32. Iam ex N. T. hæc nomina haſq; perſonas tranſtulit alibi ad novam hanc lucem ſibi revelatam, alibi ad ſuam perſonam, alibi ad ſuum ſpiritum=

vinitorē, Matth. 20. Servum illum Matth. 24.45. Dispensatorem, Luc.12.42.Servum qui decem minas accepit. Luc. 19. 16. Spiritum qui à patre promissus sit. Ioh. 16. 3. Fructum lumborum Davidis. Act. 2. 30. Virum illum, act. 17. 31. postremā tubam. Ap. 10. 7. & 11. 15. apparitionem Christi quē ostendet ille Beatus. &c. 1. Tim. 6. 15. Magnū illum ovium pastorē. Ebr. 13. 20. principem Pastorum. 1. pet. 5. 4. Item eum qui describitur ap. 1. 5. 7. 8. 13. 14. 15. 16. 17 19. Item leonem de tribu Iuda. ap. 19. 7. Iam se prodere equum illum album & ei insidentem, qui vocatur fidelis & verax. ap. 19. 11. 12. 13. 15. 16. (posterioribus annis usurpavit David in subscriptione suarum epistolarū has voces: Fidelis & verax. nempe: **Getrou eñ waerachtich in God almachtich**) Item angelum habentem clavē abyssi, ap. 20. 1. Item cœlum novum, terram novam, Ierusalem novam descendentem de cœlo. ap. 21. 1. 2. Item purum flumen aquæ vivæ ap. 22. 1.

Hæc & alia oracula, typos, promissiōes nomina & epitheta cum de persona Messiæ, tum de populi Messiæ felicitate, dignitate & gloria, cum in hac tum in futura vita revelanda, refert vel detorquet potius ad suum fictitium Christum Davidem, & ejus errantem vel potius fascinatum gregem.

atetur quidem pleraque in Christo Iesu & postolica ecclesia impleta esse, sed tantum ixta literam & corpus, non secundum spitum, quippe tunc tēmporis nondum exibitum. Et quemadmodum Moses nulla ijuriá vel contumelia affectus est quod dius sit obscuratus & superatus à Christo Iei secundum carnem, ita & Christum seundum carnem nulla injuria vel contumea notari, si dicatur jam à Christo secundū piritum superatus & obscuratus antiquausq; , juxta illud Pauli 2. Cor. 5, 16. Vnū nim & eundē esse Christum heri (sub Mo:) hodie (sub Iesu Christo) & in æterum (sub Christo Davide) sed diversas eisdem Christi esse revelationes & exhibiiones: Quemadmodum autem doctrina aostolorum fuerit manca, puerilis, & ineffiax ad plenam & solidam rerum divinarum ognitionem & interioris hominis omninodam instaurationem proferendam audioribus, ita & illorum doctrinam & ecclecas eam profitentes non potuisse subsistere dversus Antichristi imposturas & vim. Purros enim & imperitos adolescentes facile bnoxios fieri hominum calliditati & veritiæ, virilem vero ætatē non item. Quia utem hæc doctrina originē sumat ex perecto illo, de quo Paul. ait 1. Cor. 13. 10. z à viro prodeat, non ab infante, vel ado-
lescen-

lescente, hoc est conjuncta sit cum summ
Dei virtute & Sp. Sancti efficacia, propter
ea auditores & sectatores ejusdem virtuti
participes factos, brevi subolescendo per
venturos ad adultam ætatem Patris, qui po
stea Antichristi imposturis vel callidis ho
minũ artibus non sint obnoxii, ut ceu puer
incertis opinionibus & affectuum tumulti
bus circumferantur; sed solidi & immobi
les consistant, tum in veri cognitione, tum
in charitatis officiis. Et ad hoc pertinere
quæ leguntur 4. Esdr. 13. Quod fidem &
opera habeant ad altissimum. Item Es. 60
21. Hanc doctrinæ efficaciam & populi so
liditatẽ adumbratam esse in templo à Zeru
babel constructo ex quadratis & politis la
pidibus, cum Salomonis templum constru
ctũ esset ex rudibus & impolitis lapidibus
Deinde extare præclara vaticinia de hac
postrema domus gloria Hag. 2. Item apud
Esaiam 58. 12. & c. 33. 20. 21. Hic igitur
cessare debere omnem externum cultum,
omnem rituum, & sacramentorum & cere-
moniarum usum, quemadmodum nocturna
lumina cessant & obscurantur sole exorien-
te, & tutorum exactorumq; jus in puerum
hæredem cessat ubi puer ad adultam ætatem
pervenit. Quicunque igitur tam præclarã
absolutæ sapientiæ lucem & veritatis atque
charitatis perfectam efficaciam tam poten-
ter

er hodie in hujus Christi Davidis doctrinę
ninisterio se prodentē & diffundentem per
mperfectum doctrinæ propheticæ & apo-
tolicæ statum, cui nimium inhæreat, re-
pudiare, nedum profligare & refutare con-
endat, eum jam non minus peccaturū quā
olim ii peccabant qui Christo Abraha-
num, & legem euangelio, quominus ea
admitterent, opponebant: imo tanto gravi-
us, quam peccatum in Sp. Sanctum gra-
vius sit quam peccatum in legem Mosaicā,
aut in Iesum Christum secundum carnem.
Hic enim nullam restare amplius aut igno-
rantiæ aut impotentiæ excusationem: pro-
pterea quod hujus doctrinæ tanta sit tum
evidentia tum efficacia, ut facile discutiat
profligetque omnes ignorantiæ tenebras,
& præsentaneam virtutem ac potentiam o-
mnibus infirmitatibus & defectibus supe-
riorem adferat iis qui illam fide syncera
admittant. Et proprie hoc esse peccatum
illud in Sp. S. de quo Christus ait, quod sit
irremissibile cum in hoc tum in futuro secu-
lo. Quod sane hactenus committi non po-
tuerit, cum tanta lux non esse prodita. Hos
esse veros Sathanæ angelos, & Christi se-
cundum spiritum crucifixores, ejus spiritu-
alis sanguinis conculcatores, ipsius Dei &
Christi summos adversarios & acerrimos
hostes, ejus pedibus brevi subjiciendos, &
æterni

æterni ignis incendio puniendos. Atq; hic omnes facundiæ suæ copias explicat, & peccatum incredulitatis, diffidentiæ erga suum Spiritum, nedum rebellionem & contumaciam tragicè exaggerat, terq; quaterque horrendum facit, quo omnes homines à suæ doctrinæ vel desertione vel impugnatione absterreat, & vel suos in officio retineat, vel novos discipulos sibi adjungat. Huc adhibens insultationes prophetarũ adversus Philistæos, Syrios, Chaldæos, Babylonios, aliosq; populi Dei hostes, quas ad suum institutum contra suos adversarios accommodare conatur. Et hæc in genere de summa libri Mirabilium dicta sunt. Nunc hujus generis aliquot præcipuas species in articulos digestas notabimus. Et primum de Deo.

De unitate Dei.

ARTICVLVS XX.

DE Deo Patre, Filio, & Sp. S. docet; quod sit una simplex essentia & substantia individua.

De Trinitate personarum.

ARTICVLVS XXI.

DE sacrosancta Trinitate personarum admodum perplexè & confusé, ut & de

de multis aliis articulis, docet, quorũ tamẽ summa huc tendit, ut nullã in essentia divina distinctã proprietatem agnoscere videatur, nisi tres unius & ejusdẽ Dei apparitiones, tribus diversis seculis per tres primarios selectosq; Dei viros exhibitas. Harum primam factam esse sub Abrahami, Mosis, & prophetarum tempore; alteram sub ætate Ioh. Baptistæ, Christi secundum carnem, & apostolorum; Tertiam refert ad hoc nostrum seculum, & ad suum fictitium Christum Davidem. In secunda parte lib. Mirabilum cap. de Inseparabilitate Deitatis. Itẽ in art. de Nativit. Christi f. 137. 150. 180. Item in prima parte c. 22. Item in libello cui tit. est: **Een troostelijck blij woort.** Itaque dum de personis Deitatis loquitur, eas refert ad tres homines, vel (ut ipsius verbis utar) ad tres selectos vel eximie electos homines, capitaneos vid. & Heraldos sive caduceatores, qui tribus diversis temporibus Dei vices obierint, aut ejus legatione functi sint. Cujus imaginem exhibitam fuisse putabat in monte Thabor, ubi tres apostoli videbant Mosen & Eliam cum Christo colloquentes. Atque hinc attribuere videtur Mosi personam Dei Patris, Ioh. Baptistę aut Christo secundum carnẽ (nam hic variat) personam Filii. Christo autem Davidi disertè tribuit personam Sp. S. In secunda par-

da parte lib. Mirabil. artic. de diſtinctione Trinit. f. 14. 2. part. c. 53. Item in Catechiſmo, & aliis locis pleriſque.

De Chriſto Ieſu:

ARTICVLVS XXII.

TOtum Ieſu Chriſti ſecundum carnem, & incarnationis, & nativitatis, & vitæ atq; doctrinæ curriculũ fuiſſe tantum corporeum exemplar perfectioris rei, poſtea, 1. noſtro ſeculo introducendæ. Tempore enim atq; uſu flagitante Dei verbum incarnatũ, & ſervili redemtionis officio per mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem perfunctum, mox rediiſſe unde venerat humanæ naturæ ſtatu depoſito. Qui, ut ante illã progreſſionem, ita nec poſtea carnis ſubſtantiã habuerit. Propterea eum in illa ſubſtantia & perſona ad judicandum terrarum orbem non eſſe expectandũ. Attamen ejus Spiritum & animã adhuc reſtare, imo jam rediiſſe, & denuo, atque adeo præſtantiori modo incarnatam vel hypoſtaticè cum alicujus hujus temporis hominis ſpiritu veluti unitam atq; reſuſcitatam, ſe nunc prodere per cœleſtem & novam hanc Chriſti Davidis doctrinã. Quem Davidem Deus peculiariter à diebus æternitatis in hoc delegerit, prædeſtinaverit, & vocaverit, ut per

cum

eum tanquam unice dilectum & ſecundum cor ſuum inventum nomen ſuum glorificet & auguſtius reddat: omnem ſuam voluntatem exequatur, & placitis decretiſque ſuis antiquis colophonem imponat, denique ut prudentia & juſtitia judicium verum exequatur. Poſtremo ut ſpiritualis Iuda ſalvetur, ut Ieruſalem confidenter habitet, quomodo Sp.S. apud Ier. c. 23. 5. 6. & 33. 15. 16. & apud Eſ. c. 42. 1. &. 44. 26. & c. 45. forè prædixerit. In precat libell. de ſacris & oblationibus. In utraque parte lib. mirab vel ſexcentis locis. Hanc corporis Chriſti vel depoſitionem vel deificationem typicè adumbratam fuiſſe, primum in ariete qui loco Iſaaci fuerat mactatus, cum tamen Iſaacus dicatus fuerit holocauſto: Ita Chriſtum Ieſum pro redimendo humano genere ſe totum, animam vid. & corpus Deo Patri obtuliſſe, ſed Patrem per arietem, hoc eſt, corporis interitum fuiſſe placatum, ſalvo Iſaaco, Chriſti vid. ſecundum carnem anima & ſpiritu. Hujus humani ſtatus depoſitionem etiam adumbratam fuiſſe in Samſonis morte quam volens ſubierit, ut ſe de Philiſtæis Iſraelitarum hoſtibus vindicaret: Ita & Chriſtum ſui corporis interitu abſtuliſſe ſathanæ, inferis, morti, & peccato ſuam poteſtatem, cum tamen ejusdem Chriſti Ieſu ſpiritus

ſalvus remanſerit, neque à Iudæis ſit extinctus. Et licet is ſpiritus hactenus abſconditus & oculis hominum exemtus, atque tanquam à Iudæis viſus ſit exciſus, tamen eum vivere in potentia, imo ſic jam efficaciter prodire per Chriſtũ Davidem.

ARTICVLVS XXIII.

Per hunc Chriſtum Davidem, & per eos qui eiſdem cum illo ſunt animis & affectibus, judicium poſtremum futurum lib. Mirab. part. 2. art. Quod Chriſti adventus carneis aut corporeis oculis non conſpicuus futurus ſit: ſed eum in occulto jam fieri ſpiritualiter. Item in art. de reſurrect. f. 96. In apologia minori loco 17. Huic enim tanquam Regi decretum, diſpoſitum, & conſtitutum eſſe regnum, ut provinciam judicandi datam: idque ad eundem modum quo hæc Ieſu Chriſto à Patre ſunt legata & diſpoſita. lib. Mirab. part. 1. c. 137. Item c. 82. item 2. part. f. 112. Item 2. part. Tit. de Archipaſtore & rege ſuper omnia.

ARTICVLVS XXIV.

In poſtremo judicio non aliam cœli & terræ innovationem futuram, quam quotidie fieri videmus. Quæ enim apoſtoli dixere de mutatione cœli & terræ ad hominum

minum mores & animos referenda, non ad elementa corporalia.

In majori apologia art. 24. item lib. Mirab. in multis locis.

ARTICVLVS XXV.

Nubes in quibus Iesus Christus cum angelico satellitio ad judicandum venturus ab apostolis prædictus est, allegoricè esse exponendas, referendasque ad piorum & sanctorum mentes & animos, è quibus veluti lux è tenebris emicatura sit æterna vita & gloria. lib. Mirab. part. 1. c. 98. item part. 2. art. de Ascensione in cœlos it. in minori Apol. loco. 17. 24. 25.

ARTICVLVS XXVI.

Archangelum illum in cujus voce & hortatu prædictus est Iesus Christus venturus & mortuos excitaturus, non esse mentem incorpoream, aut spiritum, sed hominem angelica mente delibutum: vocem, jussum, hortarum, tubæ clangorem, esse doctrinam & disciplinam Christi Davidis. In lib. perfect. E. 2. item in lib. Mirab.

ARTICVLVS XXVII.

Locum æternę beatitudinis non fore supra nos in cœlis, sed super terram. In apol. min. art: 25. & aliis libris plurimis.

ARTICVLVS XXVIII.

Regnum Dei nihil aliud esse quam Dei & Christi Iesu spiritum atque vitam jam in unico homine repertam: Christi vero regnum esse externum quendam gloriæ statum, ad quem brevi evehendi sint sancti.

Lib. Mir. part. 2. art. de Regno Dei & Christi & in aliis libell. plurim. nominatim in lib. vel oratione ad eruditos & potentes mundi.

ARTICVLVS XXIX.

Paradisum, cœlum, infernum, Christi postremum adventum, extremum judicium, æternam vitam &c. non alibi quam intra hominem observanda & expectanda. Cœlum enim animi bona & eorum ministeria & dispensationem atque usum, Terram corporis bona & eorum usum significare. Hæc omnia brevi ad filios Dei esse transitura.

ARTICVLVS XXX.

Sententiam ecclesiæ catholicæ de angelis & dæmonibus, quod sint mentes incorporeæ, spiritus invisibiles, creaturæ à Deo conditæ, propriam & extra homines separatam habentes substantiam, esse nugatoriam & imaginariam, Angelos enim

esse

esse qualitates & motus, qnos Deus hominibus inspiret. lib. Mir. part. 2. Tit. de Ang. f. 39. 40. 41. Lege confutat. auctoris in art. 4. min. apol.

ARTICVLVS XXXI.

Dæmones esse rem nihili, ex hominum imaginationibus, Dei ira in eosdem grassante, excogitatam, veluti larvas nocturnas, quæ licet substantialiter non subsistant, tamen ex hominum errore ad eosdem ludendos & terrendos efficaces sint. Vtrosque & angelos & Dæmonas in Adamo & ejus posteris suum usum habere cœpisse aut originem traxisse, & extra homines nihil esse, nihil posse, præsertim ab eo tempore, quo verbum denuo incarnatum sit, & angelos suos spiritus fecerit, & ministros flammas ignis.

In lib. de sathana. item: lib. Mir. par. 2. f. 33. item in min. apol. art. 5.

Ad lectorem pium.

HAabes nunc, pie & candide lector, doctrinæ vel potius impiæ & sceleratæ hæresis Davidianæ fundamentum, basin, columnas, & fulcra, quibus eum per 20 annos fundare & fulcire conatus est, atque persuasit plerisqne, qui in genere eam tanquam divinitus datam implicita fide, et- tandiu docuit.

iamſi pleraſque ſpecies & totius negocij ſcopum ignorarent, apprehenderunt, defenderunt, & propagarunt, magna ſuarum rerum jactura, atque alicubi etiam vitæ diſcrimine. Quæ doctrina merito tamen non ſolum à Reformatis & euangelicis eccleſijs ſed etiam ab anabaptiſticis factionibus ejus ſocijs pleriſque fuit damnata, partim tanquam impia, & in perſonam Ieſu Chriſti atq; ejus euangeliũ blaſphema, partim tanquam prophanis erroribus & delirijs referta: tota verò tum à verbo Dei, tum à conſenſu univerſi Chriſtiani orbis aliena. Quicquid autem præter hęc capita in hiſce à nobis citatis atque etiam aliis ſuis libris ſcripſit (ſcripſit autem plurimos) ſunt aut pietatis præcepta ſana, ex ſacris literis & orthodoxorum libris deſumta, ſed alicubi ejus additamentis contaminata, aut explicationes prædictorum capitum, aut exhortationes ad vigilias & preces, quas vehementer urget, aut extimulationes ad certamen abnegationum & explorationum fucatarum, aut comminationes imminentis iræ Dei, aut conſolationes comparatæ ad eos qui fortiter quidem, & tamen non ſatis feliciter dimicarent, aut deſcriptiones & declarationes conſiliorum, motuum, conatuum, & actionum veteris & novi hominis, & quæ ſit eo-

rum

rum potentia, prudentia, fraus, virtus, effectus, fructus; aut sunt explicationes locorum obscurorum in sacris literis, ubi typorum involucra explicare, & allegoriarum fontes aperire, vel potius implicare conatur, & per eas metamorphoses quidvis probare contendit; aut sunt demum disertæ & graves asseverationes, vel obliquæ insinuationes & commendationes ejus qua gloriebatur auctoritatis, missionis, doctrinæ, & populi sui, quippe in qua non minimam partem felicioris successus & propagationis doctrinæ positam esse perspiceret. Neque enim ullibi aliquid vel abstrusi evolvisse, vel acutè prodidisse se recolit, quin statim pro sua portentosa philautia in sui sp. admirationem, commendationem, & celebrationem erumpat, etiamsi ejus rei non solum sententiam ex prophetica & apostolica doctrina mutuatus esset, sed & ipsorum ferè verba annumerasset, tamen suo more eximiæ cujusdam & nunquam antea vel lectæ vel auditæ, sed à se nunc recens inventæ & prolatæ sapientiæ nomine, mirum quam sibi pro sua puerili jactantia placeat, gestiat, ovet, atque veluti tripudiet, atque inde tandem concludat, huic modo Spiritui & verbo perfectionis, ut vocat, per omnia simplici fide inhærendum, eidem omnem rationem, o-

mnes ſenſus ſubjiciendos, omni dubitatione, imo & omni inquiſitione atq; diſcuſſione excluſa, quicquid vel experientia, vel eventus, vel ſcripturarum aut teſtimonia, aut exempla in ſpeciem apparentia, vel ullus ullius omnium temporum ſanctorum & ſapientium conſenſus coram teſtari & convincere videri poſſit. Atque hac ejus infelici ſedulitate vel potius temeraria audacia effectum eſt, ut maxima ſectæ pars talium importunarum obteſtationum admiratione & fide præoccupata & obſtupefacta nullam de ejus doctrinæ vel minima patticula diſquiſitionem aut diſcuſſionem nedum dubitationem in animum admittere auſa ſit. Perſuaſi enim ab illo impoſtore, vel potius faſcinati, arbitrabantur novam hanc doctrinam non ſubjici debere ullius hominis vel etiam angeli examinationi & judicio: ſed ſimplici & implicita fide omnia ejus tum ſcripta, tum acta, tanquam divina habenda, prędicanda & celebrāda Nullū enim apud Deū gravius eſſe peccatum quam ſibi ſumere eam libertatē (quam ipſi Luciferianā audaciam vocant) qua quis hanc doctrinam novā ſibi diſquirendam diſcutiendamque atque ad euangelicæ doctrinæ normam exigendam & corrigendam putet. Hoc enim nihil aliud eſſe quam Sp. Sanctum velle docere, ſuam

id. humanam ſapientiam divinæ ſapien-
æ anteferre, atque ita laceſſere iram ejus
udio quærendi contraria ipſus ſpiritui, &
ertandi cum eo. Atque ita infœlices
tius ſectæ homines aliquot, ſine ulla juſta
ttione ſine vllo probabili argumento, non
icam ſine authoritate ſacrarum literarum
quas pro antiquatis habent) imo contra
mnem ſanctorum omnium temporum &
enſum & conſenſum paſſi ſunt ſe in tam
urpem & fœdam ſervitutem projici, atque
n ipſos ſathanæ laqueos implicari, vel po-
ius in voluntarium interitum præcipitari,
tque ſpontaneos detineri, adeo ut dulcis
pſis ea etiamnũ videatur captivitas, quam
tudioſiſſime evitare, ac centum mortibus,
i centum vitas haberent, debebant pro-
pulſare. Sed hæc eſt juſtiſſima vindicta di-
vini numinis, punientis hominum vel in-
gratitudinem vel curioſitatẽ, vel euange-
ij ſui neglectum. Quoniam (inquit Eſ. c.
29. 13.) timuit populus iſte mandato &
doctrinis hominum, ecce ego obſtupefa-
iam eum &c. Item ad Theſſ. 2. ep. 2. c.
10. 11. pro eo quod dilectionem veritatis
non receperunt ut ſalvi fuerent, propterea
mittet illis Deus efficaciam illuſionis, ut
credant mendacio, & judicentur omnes
qui non crediderunt (apoſtolicæ doctrinæ)
veritati, ſed approbarunt (Antichriſti) in-
D 5 juſtitiam

justitiam &c. quibus verbis haud obscur
indicat apostolus, hominum vel ingrati
tudinem, vel contumaciam, vel curio
sitatem mereri, ut justo Dei judicio præci
pites agantur, atque clausis oculis se in ma
nifestos laqueos induant. Quin Antichrist
vim, & ad Gal. 3. fascinationem vocat. Vul
enim Deus ut euangelij sui doctrinæ han
reverentiam tribuamus, ut ab ejus præ
scripto, quantum ad substantiam attinet
ne latum quidem digitum abducere no
sinamus, ulla vel humanæ rationis proba
bilitate, vel sanctimoniæ specie, vel etian
miraculis, quibus rebus homines religio
si maximè affici & earum illecebrâ capi so
lent, ut omnium temporum historiæ osten
dunt. Sed quanto minus hodie harum ille
cebrarum in hujus sectæ vel doctrina ve
vita apparet, eo major est culpa illorum
qui per eam à reverentia vel obsequio apo
stolicæ doctrinæ & ecclesiæ abductos se in
isto errorum vel potius apostasiæ ergastulo
detineri sinunt, præsertim post horum ar-
ticulorum detectionem bonâ fide ex ejus
libris & epistolis desumtam, & in tam cla-
ra euangelij luce per multas Christiani or-
bis nationes innumerorum hominum con-
scientias tam acriter feriente. Eo enim
quisq; sceleratior est quo minore momen-
to ab honesto abducitur. Iam quivis in
apostolica

apostolica doctrina ritè institutus, & non vel tetra superstitione fascinatus, vel hypocrisi dementatus, vel malo genio agitatus, facilè intelligit nihil in hujus sectæ vel doctrina vel vita hodie esse admiratione dignum, imo præter tantum impiæ doctrinæ labyrinthum, præter flagitiosam vitæ licentiam, quam gloriosæ libertatis filiorum Dei titulo blasphemè insigniunt, manifestè se prodere portentosam arrogantiam. Sed hæc obiter dicta sunto. Nunc ut tandē finiam: Quantum ad hæc dogmata ex ejus libris & epistolis bona fide collecta anttinet, observet lector pius, ea, ut & antea dixi, in ejus libris adeo confusè, indistinctè, perplexè & involutè esse proposita & consarcinata, ut vix à paucis ejus sectatoribus, nedum aliis intelligi potuerint hactenus, adeo omnia sunt convulsa, distracta, contorta, decies repetita, horsum illorsumque recurrentia, sive quod studio quædam involvere & contegere voluerit, sive quod propria & perspicua loquendi ratione destitutus non aliter potuerit. Sui certè interpretantur hanc esse linguam Sp. S. Christo Davidi propriam. Ne autem hi Davidianæ obscuritatis & perplexitatis admiratores aut quiquam alii quicquam in me desiderent, aut conquerantur is his articulis callidè quid à me circum-

circumſcriptum inverſumque eſſe, aut eo ſic breviter & conciſè propoſitos eſſe, ſine rationibus & argumentis, ut facile lector fastidium aut etiam horrorem pariant, contexuimus horum locorum explicationem fidelem & copioſam, ubi & integros libellos latinè verſos aſſcripſimus, adjunctis annotatunculis & ſcholiis paucis, quibus oſtendo tempus & occaſionem, in quibus talia conſcripta ſunt & emiſſa, de quorum ſcriptorum fide nemo ejus negocij peritus dubitare poteſt. Nam ut lectori minus in his excercitato conſulerem, articulos hoc uſitato dicendi genere proponendos putavi. Neque tamen horum dogmatum & hæreſium narrationem ita accipi velim, quaſi in his ſolis opinionibus erraſſet, cæteraque omnia ſint catholica & orthodoxa, ſed ut ſciatur, hæc tanquam enormia à me fuiſſe notata, reprehenſa, & refutata: excreviſſet alioqui nimium hæc ferrago, ſi omnes ſacræ doctrinæ corruptelæ, depravationes, & adulterationes, quibus ſ. literas conſpurcavit hic fuiſſent adnumerandæ. Sed ex magna adeoque ubertima errorum & ſacrilegiorum copia his tanquam exemplis cæterorum contentus eſſe volui Et quamquam neceſſitate potius quam voluntate, meâ in his articulis deſcribendis uſus ſum phraſi, tamen operam dedi, ut nuſquam ab

ejus

us perpetua ſententia vel quam minimũ
ſcederem. Quod utinam & aliis, qui
ite me hoc negocium deſcribere cona-
fuerunt, religiosè fuiſſet obſervatum,
m ejus ſectatores minus ſecurè, aut certè
ajori cum ſcrupulo idoli ſui cum nomen,
m doctrinam publicè & ſolenniter da-
naſſent. Dictitabant enim eorum pleriq;
non tam ſui Chriſti Davidis ſententiam
ermanam damnaſſe, quam impudentes
heologorum & concionatorum calumni-
, depravationes, & mendacia ſub ſui ido-
nomine propoſita jure & merito dam-
aſſe. Sed hæc deſcriptio ita eſt attempe-
ita, ut ejuſmodi querelis vel potius ter-
iverſationibus & cavillis nullus juſtus poſ-
t eſſe locus. Neque in ea re aliud ſpectavi,
uam ut tam varia rei diſcriptione ſimplex
c perſpicua extaret veritas. Vale pie le-
tor, & N.B. ſalutem interdum piis preci-
us Chriſto Ieſu ſervatori commendato.
cripta, vel potius in chartis annotata fu-
runt hæc in inclyta Baſilæa, A° 1559. &
unc denuo ex ſchedis nõ modo diſjectis,
erum etiam lacceris & ſitu obductis re-
ollecta, Menſe Aug. A° 1576.

DE

DE Actis & eventis quæ doctrinam DA-VIDIS GEORGII *secuta sunt luculenta descriptio.*

QVæ & qualis doctrina DAVIDIS GEORGII fuerit, hactenus breviter quidem sed fideliter ostendi. Nunc vero eadem fide breviter percurram præcipua acta & eventa quæ ejus doctrinam consecuta sunt; & quales habuerit auditores, quemadmodum & adversarios, & quæ fuerint inter ipsum & illos certamina, & quem denique finem vitæ nactus sit.

Cum primo libellos & epistolas aliquas emisisset, iisque sollicitasset Hofmannicos, Monasterienses, Batenburgenses, Mennonitas anabaptistas (hæ enim 3 sectæ ex una ca Hofmannica intra biennium natę erant) fere ab his omnibus ejus doctrina repudiata fuit, paucis exceptis, quod & ipse alicubi in nostra de ejus doctrinæ descriptione commemorat. Ex adversarijs quos non paucos habuit, nullus ardentius ejus doctrinam impetebat quam Ioan. Batenburgus, ut & antea ostendimus. Et quia scripturis parum aut nihil valebat, quod argumentis non poterat ferro supplere cogitabat. Prædixerat enim brevi fore, ut aut David ejus manu puniretur, aut se non esse

verum

verum populi Dei vindicem. Sed hujus hominis vanitatem eventus ipse paulo post redarguit, dum seditiosis & crudelibus suis artibus & consiliis seipsum suis hostibus imprudenter proderet, ut in prima parte hujus operis latius exposuimus. Batenburgo igitur infelici fato sublato, & ejus populo spe interitus Davidis frustrato, horũ numerus non parum auctus fuit, quæ res & odium atque certamen magis inter ipsos accendit. Affirmabat autem David non temere aut fortuito hoc certamen cum Batenburgensibus à se moveri & geri, sed longe ante per Christi Spiritum in apoc. Io. de eo prædictum & vaticinatum esse, & nominatim c. 7. 23. ubi Angelus aliquis (cujus officio se nunc fungi autumabat) clamat ad alios quatuor Angelos (quibus Batenburgenses significari putabat) Nolite nocere terræ etc. sed de ea insania plura in declaratione doctrinæ. Cum igitur numerus assentientium augeretur, multique ex diversis locis proficiscerentur Delphos veluti quondam ad tabernaculum Mosis, & postea ad templum Salomonis, adferentes dona ac munera, magis ac magis in vocationis quam sibi vendicabat fiducia confirmabantur. Nam in Enthusiasmis, qui in principio sibi acciderant, tale quid sibi obventurum revelatum fuisse affirmabat. Ejus

itaque

itaque libellis longè lateque ſparſis, cupide recipiebatur quædam ipſius doctrinæ partes, de aliquibus dubitabatur. Inter hos erant non poſtremi reliquiæ cladis Monaſterienſium, quæ in comitatu Oldenburgenſis Friſiæ morabantur, & ob ambiguitatem removendā ipſius expectabant colloquium. quorum ut ſatisfaceret voto, eo profectus eſt, comitantibus tribus aut quatuor ex ſelectioribus ſectatoribus. Poſteaquā convenerunt multis ſermonibus ultra citroque habitis, ſibi mutuo ſocietatis dextras tandem dederunt. Hæc facta ſunt in vere, A° 1538. Hoc ſucceſſu animoſior factus, de Hofmannicis Argentinę degētibus (quorum tunc apud Anabaptiſtas in Hollandia, Brabantia, Flandria, Anglia, & ad Rheni tractum præcipua erat auctoritas) in ſuæ factionis ſocietatem portrahendis magnam concepit ſpem. Curavit igitur per literas, ut præcipui ex omnibus illis partibus circa feſtum Io. Baptiſtæ Argentinæ in nundinis præſto adeſſent, qua in re illi obſecutum fuit. Comparuerunt igitur primarij iſtuis factionis ferè omnes, ali qui etiam ex ipſa Anglia, veluti ad rem maximè ſeriam conficiendam. Quia autem in colloquio hoc propoſita eſt forma doctrinæ, qua uti ſolet dum anabaptiſtas in ſuam ſententiam & ſocietatem pertrahere

conatus est, actionem hanc aliquanto diligentius descriptam lectori evidenter ob oculos ponam. Cum igitur David primo die causam sui adventus narrasset, nimirũ se tantum iter, tanto cum labore & sumtu, sponte & alacriter perfecisse, ut coram audiret quid in ejus doctrina desiderarent, quid probarent vel improbarent, ut latius et plenius eos edocere, utque opus illud restitutionis sibi à Deo iniunctum apud illos quoque nunc, quemadmodum & ante apud alios fecerit, absolvere posset: et ipsi responderent :, se quidem quosdam ejus libellorum legisse, sed fortassis non satis intellexisse: & tamen quædam quæ ex ejus scriptis sibi deprehendisse viderentur probare non posse, nisi certior & evidentior probatio ex divinæ scripturæ testimoniis & exemplis adferretur; quod jam ab eo expectarent: instituit ipse orationem exhortatoriam satis longam, cujus summa huc spectabat: doctrinam sibi coelitus revelatam esse talem, ut nemo, nisi spiritualiter affectus ad eam intelligendam, nedum perficiendam sit idoneus: Hunc affectum nemini contingere, nisi qui serio ac sedulo se in jugi poenitentia & veniæ precationibus exerceat, & desiderio obtinendæ veniæ & liberationis à servitute peccati æstuans in tali studio perseveret, synceriique do-

loris testes fideles lacrymas ubertim effundat: nec orandi, obsecrandi, lamentandique finem faciat, donec sentiat peccandi affectum è medullis animi exemtum &c. Excutiant igitur se suaque omnia, atque diligenter perpendant, an ad jam dictum modum ad pietatem se exercuerint, inque eo studio ab eo tẽpore quo per anabaptismum fœdus cum Deo inierint perseveraverint constanter, alioqui de negocio à se proponendo ipsos ad judicandum inutiles futuros. Hæc & alia multa tum in principio tum in medio, tum in calce orationis inculcans & repetens post aliquot interrogationes & aliorum responsiones, tandem claudit orationem cum exhortatione ad preces serias & ardentes futura nocte faciendas, nam corpora sua immani labore itineris esse fessa, & propterea se petere ut in alterum diem colloquium differatur: quod libenter permiserunt Hofmannici. Altero die iterum congressi, David cæpit post usitatam salutationem ex eis quærere, an ea quæ hesterno die proposuisset, etiam recte intellexissent, & ritè perpenderint, vo'verint & revolverint. Item an se tales quoque esse liquido conspiciant & experiantur. Nam hoc percipere & experiri non esse rem levioris momenti. Responderunt se putare se ea rectè intellexisse, vitam ita

quoque composuisse per aliquot annos pro ratione & mẽsura fidei sibi donatæ, sed fidei infirmitatem & imperfectionẽ spiritus sibi sæpe impedimento fuisse & hodie esse. Ipse iterũ ad hæc respondens, ait: sibi difficulter persuaderi eos hæc intellexisse plenè, & propterea plurimũ dolere, quod videat eos non satis esse aptos & habiles ad tanta quę jam habebat illis proponenda mysteria percipienda. Et quum ipsi seipsos non noscant, se necessario impelli ut de statu vitę illorum penitius inquirendo & investigando eorum oculos aperiat, & ipsos sibi notos reddat. Quęrit igitur: an peccata adolescentiæ & quę deinde secuta sunt ita introspexerint, ut eorum cogitatione & animo confusi & corpore perturbati sint? an etiam prę nimio propter peccata dolore caligine obducti sint eorum oculi, illorum acies præ iræ Dei metu hebetata? An etiam sensus iræ Dei pondere unquam ita fuerint pressi, ut assiduè tristes obambularint: adeo ut memoria peccatorum recurrente dolor semper magis incruduerit, donec corporis succo diminuto, & sanguine in aquam converso ossa vix hęserint carni &c. Hanc talem pœnitentiam necessario præire oportere, antequã ipsi ad intelligendas res has divinas apti esse queant. Quod si tales non sint, necesse esse ut in rebus divinis suo judicio

diffidentes se prębeant, veluti parvulos docendos iis qui talia experti & propterea divinitus vocati, docti, & missi sint, qualem se esse non dubitet. &c. Dum autem Hofmannici responderent, se sibi suæ infirmitatis, oblivionis, cessationis, & multorũ delictorũ. probè conscios, libenter ea confiteri illi & omnibus piis, easq; indies magis ac magis deplorare apud Deum, veniamq; admissorũ auxiè petere, & ex fide etiam obtinere: sed propter hanc suę infirmitatis conscientiam nõ statim posse subscribere novæ doctrinæ à quamlibet sancto propositæ, nisi ea prius conferatur ad normã doctrinæ apostolicę: cum uterque apostolus, Paulus & Ioannes jubeat spiritus & eorũ prophetias probari: eum, si sapiat, probatos & expertos discipulos pręlaturũ imperitis & stultè credulis, qui sine examinatione & doctrinę excussione ei credentes, cras alteri eadem facilitate contra illũ fidem adhibere possint. probationẽ igitur & discussionem præcedere debere fidẽ &c. David hanc illorum justam & piam sententiam improbavit, traduxitque veluti humanam sapientiam, philosophicamque curiositatem, & Iudaicam incredulitatem. Neminem non renatum sacras literas intelligere posse, multo minus ex iis judicium ferre de nova cœlitus revelata doctrina, juxta illud: Animalis homo non

 percipit

percipit ea quæ ſunt Spiritus. Hanc igitur doctrinam ſibi cœlitus immediatè eſſe revelatam, non ex ſagaci ingenio deprehenſam, aut ex ſacrarum literarum diligenti lectione collectam, & propterea eam requirere diſcipulos qui ſine ullo propheticę, & apoſtolicæ auctoritatis præcedentis reſpectu fidem ſimpliciter adhibeant ſententiis ab eodem Spiritu revelatis & proditis. Cum autem Hofmannici peterent ex Davide audire modum & rationem hujus tantopere ab illo jactatæ & prædicatæ revelationis. neque ipſo eam narrante illis ſatisfieret, niſi dogmata quæ ex illis collegiſſet propheticæ & apoſtolicæ doctrinæ teſtimoniis & exemplis confirmaret &c. produxit libellum typis excuſum, & ex eo prælegit illis teſtimonia quæ ex biblicis libris in eo libello complexus erat, ad aſtruendam comprobandamque doctrinam de privata inter ſuos peccatorum confeſſione. Hofmannici verò judicarunt iſta teſtimonia nihil omnino facere pro hujus novæ confeſſionis defenſione, ſed alias confeſſionum ſpecies denotare: & hanc ob cauſam ſe admittere non poſſe hanc novam doctrinam: præſertim cum ſacræ literæ tam graviter deterrerent à doctrinis cum apoſtolica doctrina non tantum pugnantibus, ſed illi etiam peregrinum aliquid in-

ducentibus, aut eam ad alium quendam modum formantibus. &c. David ægrè tulit hoc illorum de sua doctrina judicium, eosque veluti carnales, & divino Spiritui per ipsum loquenti incredulos, rebelles, pertinaces traduxit: addens eos aliquando lamentabili fletu hanc suam pertinaciam deplorateros: se nihil intermisisse illorum quæ ullo modo eos ad saniorem mentem & perfectiorem sanctæ vitæ statum inducere possent, sed eos suo vitio se indignos reddere hac gratia: & icciro sibi ab omni ulteriori colloquio abstinendum, & eos suæ pervicaciæ relinquendos esse: Spiritum suum sibi dictare eos qui hæc inferiora respuissent ad sublimiora sua mysteria intelligenda esse ineptos. juxta illud: si terrena dixi vobis &c. Io. 3. 12. De hoc tam temerario suo erga eos judicio graviter conquesti sunt Hofmannici, quemadmodum & de consilio tam repente abrumpendi colloquii, spem enim esse ut ei de aliis illius doctrinæ partibus confirmandis aliquid certius compertiusque proferenti fidem fortassis habituri sint. Hoc ut non fiat, nihil tamen in collatione sententiarum amica esse periculi: Imo utilitatis plurimum inde redire posse ad ejus sectatores, si ex colloquij lectione tantam & in ejus sermonibus sapientiæ lucem veritatisq; ener-

giam, & in ſuorum reſponſionibus carnalitatem, abſurditatem, & falſitatem deprehenderint. Ipſe autem reſpondit: ſuos in infera Germania non requirere aut petere tam accuratas ex S. literis probationes, cum jam reipſa vim & energiam Spiritus Sancti ex hac doctrina in illorum pectora derivatam experti ſint. Fruſtra ſe amplius cum illis verba plura commutaturum, cum ejus vocationi & miſſioni diffidentes ſimul totam ejus doctrinam damnent. Spiritum ſuum ſibi non permittere ut in colloquio procedat, ſed jubere, ut eos admoneat ut memores ſint charitatis & officii in illos collati, nam futurum ut hoc illis cedat, niſi reſipiſcant, in gravioris damnationis acceſſionem: veterem hominem amplius non tegant, ſed per ingenuam confeſſionem prodant traducantque, atque ita operam dent ut infantibus ſimiles fiant. Ipſi ad hæc: ſe multis & graviſſimis cauſis moveri, cur non ita ſtrictè ſe ad ejus vel Spiritus vel doctrinæ fidem implicitam obſtingant: ſe jam ſæpe ad eundem modum à multis & variis Spiritum inſtauratorem jactantibus eſſe ſollicitatos, & eventum oſtendiſſe plerorumque jactationem fuiſſe vanam. Sacras literas nos admonere de poſtremorum temporum à falſa doctrina periculis, & horum exempla paſſim illuſtriora

ob oculos posita esse quam ut illud exemplis & testimoniis comprobari oporteat. Se etiam non omnem ejus doctrinam damnare, imo se valde delectari ejus exhortationibus, de timore Domini, de pœnitentia, de mortificatione, de assiduitate & ardore precandi, de humilitate, & siquę sunt alia sacris literis consentientia. Sed interim se salua conscientia probare & admittere non posse leges illas novas, de peccatorum confessione publica, de necessitate pudoris membrorum genitalium expugnandi, de polygamia, de dimissione uxorum ob diversitatem fidei vel mores minus commodos &c. Sed quia ab eo impetrari non posset ut colloquium dę cæteris capitibus jam nominatis instauretur, se rem omnem Deo & illi committere. Altero die unus & alter ex Hofmanni doctoribus iterum accessit Davidem, illumq; ad loquendum sollicitavit (nam pertinaci silentio utebatur) sic comparati, ut qui non disputare amplius, sed saltem inter se obiter & perfunctoriè conferre, & quædam in ejus libris obiter attacta & nondum satis explicata, eorum interpretationem ab eo discere vellent, nimirum; an pueri ex sui spiritus sententia concepti & nati etiam morti, ut cæteri obnoxii sint posthac futuri? Item, cũ doceat futurum seculum in hoc

ſuo novo cœtu inchoari, & in eodem fore fælicem & numeroſam liberorum procreationem, an etiam Ieſus Chriſtus ſit liberos geniturus? &c. Reſpondit ſe de hoc negotio nihil certi velle affirmare. Sibi tamen non improbabile videri, ut credamus in futuro ſeculo fore liberorum procreationem: cum ea felicitas in propheticis libris promiſſa, hactenus ad plenum nondum ſit exhibita, ſed inde non ſequi Chriſtum oportere filios gignere. Imo hoc abſurdum eſse. &c. Ipſi affimabant, optimè illud huic ejus novæ doctrinæ congruere, qua doceat fideles in futuro ſeculo filios genituros, cum Chriſtus in omnibus primas agat, primus ſit ex mortuis, primus inter multos fratres. Poſtea iidem narrarunt, quos habeant cum aliquot Iudęis jam recens ad ſuam eccleſiam Hofmannicam converſis labores, ad receptam de Trinitate Deitatis, de diſtinctione perſonarum, doctrinam aſtruendam: & petebant ut illis ſignificaret quid de hac abſtruſa quæſtione ipſe ſentiret, cum in quodam ejus libello de ea re obſcura mentio ſit facta. &c. Reſpondit: Quæſtionem illam parum eſse utilem, deinde eam etiam ad illos tantum pertinere qui habent mẽtes ad contemplationem rerum ſupernarum exercitatas, & ab omnibus humanis affectibus tranquil-

las: se non hunc habere morem, ut in ea mysteria quę supra se sint inquirendo perrumpat, sed expectare se Spiritus Sancti revelationem, inspirationem, & ductum, ne per temeritatem peccet. Cum ipsi autè assererent, quæstionem quidem esse abstrusam, tamen creditu necessariam, imo esse primum fidei nostræ articulum, & cæterorum quasi initium & ostium, ipse autem hoc negaret, & hunc illorum docendi modum improbaret, suamque sententiam tandem aliquot similitudinibus explicare conaretur, multis ultro citroque verbis habitis, tandem Hofmannici concluserunt, Davidis doctrinam de hoc loco, quemadmodum etiam de aliis utrimque controversis esse hæreticam, falsam, multisque modis perniciosam, & propterea ab omnibus Christianis fugiendam &c. Hæc ipso Davide teste ad hunc modum inter eos acta sunt. Nam ex historia ipsius manu correcta & emendata hæc collegi & descripsi. Ad hoc illorum tam concors judicium & consentientem de illius disciplina censuram, nihil aliud respondit, quam prophetas, apostolos, atque omnes divinitus missos ministros jam inde ab initio mundi ad eundem modum fuisse exceptos & tractatos à phariseis & literali hominum genere, Christi Spiritu vacuo. Ex libellis

tamen quos poſt illud colloquium emiſit, apparet, eum de ſuis in officio retinendis magis quã ante fuiſſe ſollicitum. Nam ea quæ primis diebus erant diſputata ex utriuſque partis conſenſu in acta erãt relata & emendata. Et hęc facta ſunt in fine menſis Iunii A° 1538. Errarunt igitur, qui, dũ ſcriberere conati ſunt hiſtoriam vitæ Davidis, hoc colloquiũ retulerunt ad annum 1544.

Cœtus Monaſterienſium anabaptiſtarum reliquus poſtquam Davidem in inferam Germaniam reverſum intellexerat, aliqui ex primariis ad eum locum in quo eum reſidere norant profecti ſunt, ut eum de quibuſdam difficilioribus caſibus conſulerent. Quorum mores cum Davidi minus probarentur, eoſque de his, literis poſtea abſentes & non oratione præſentes admonuiſſet, factum eſt ut poſtea multis & ſermonibus & ſcriptis ultra citroque habitis, miſſis, & tranſſcriptis, tandem ſuſpiciones & dubitationes de ſtatu Davidis legatorum reliquiarum Monaſterienſium animos invaſerint. Quæ ſuſpicio ſcribendo & reſcribendo ita aucta eſt, ut indies ab eo ejuſque doctrina & diſciplina alienati, demum ab eo non tantum diſſentire, ſed & alios ab ea palam oratione & ſcriptis deterrere & revocare non dubitarint. Dogmata quæ improbabant & refu-

refutabant erant hæc : 1. Quod detectio membrorum genitalium & profligatio istius pudoris ad consequendam perfectionem faceret. 2. quod peccata omnia in hoc novo cœtu palã sint confitenda. 3. Quod matrimonii obligatio jã post hac apud perfectos cessare debeat. 4. præter carnis adversus spiritum rebellionem nullos esse substantiales dæmones. 5. præter personam Iesu Christi ad ultimum judicium venturam, adhuc alium novum & generalem vindicem, caput, principem & ducem à præsenti populo Dei nunc esse observandum & sequendum. 6. Quod hæc nova Davidis doctrina ad normam propheticæ & apostolicæ doctrinæ exigi. & inde confirmationem peti, aut signis eam probari non oporteat. Hæc plenius intelligi possunt ex Davidis ad Aldenburgensium propositiones responsione, & ex eorundem replicatione. Neque dubito quim repulsa illa quam David Argentinæ ab Hofmannicis passus erat. hisce reliquiis multum ad errores dogmatum intelligendos & aversandos profuerit. Nam erant istius cœtus primarii ingenio præstantes, rerumque civilium periti, & ex infelici Monasteriensium civium fatali exitu admoniti & cautiores redditi.

Hæc Monasteriensium defectio, quorum

ùm plurimum per triplicem Frisiam & Westphaliam valebat auctoritas, in Davilica secta magnam fecit ruinam: quam brevi subsecuta est sæva persecutio, quæ potiorem & præstantiorem partem absumsit, præsertim in Hollandia & Westphalia. Nam Magistratus Delphorum intelligens in sua urbe privatim fieri diurnos & nocturnos anabaptistarum conventus, publicè per præconē è curia edixit, ut quicunque sibi de anabaptistica societate conscii essent inter octiduū urbe discederent, alioqui capitis pœnam subituri. Davidianorum primarii persuasi Deum nunquam permissurum ut populus tam mirificè sanctus & tam absolutè pius (quales seipsos habebant) aut morti succumberet, aut trucidatus non extemplo vitæ restitueretur, auctores reliquis simplicioribus fuerunt ut urbe non discederent: hac tamen cautione adjuncta, ut qui ad mortem alacriter obeundam non essent parati ij in tempore discederent, eos tamen qui discederent salutis suæ occasionem præsentaneam amittere, prȩsertim eos qui sentirent se post multam spiritus cum carne colluctationem internam veteris hominis mortem omnimodam ex fide vix sperare. talibus sanè consultum esse ut se volentes in hoc præsens corporis discrimen coniicientes hac

via

via consequerentur quod alias in spiritual[i] morte per fidem devoranda illis ex spiritu[s] inopia esset denegatum hactenus &c. Hujus meę narrationis extant certa documenta in epistolis suis quibusdam ad captivos scriptis. Nam ipse eo tempore quo grassabatur ea persecutio cum paucis mansit in urbe, expectans negocii eventum; qu[i] longê alius fuit quam ipse sibi suisque pollicitus fuerat. Aliqui autem ea perplexa discedendi concessione territi manserunt aliqui discessum moliti conscientia puncti redierunt ad urbem, extrema perpeti malentes quam sacrosanctum illum cœtum Delphensium relinquendo minus fideles & constantes, tum apud Deum, tum apud reliquos socios haberi. Octiduo peracto cœptum est ædes eorum qui de anabaptismo suspecti erant explorari, ubi nemo reperiebatur se non ad primam interrogationem ultro offerens, & profitens esse anabaptistam. Nam in eum omnes instructi erant casum, non aliter atque ij solent qui se ad nuptialia convivia adeunda præpararunt. Nonnulli abeuntibus in hunc modum lictoribus acclamabant: heus vos & me istis vinctis adjungite, nam ejusdem sum cum illis & fidei & instituti. Species probitatis vitæ plerisque erat nota civibus, cui cum tanta ad periculum mortis subeun-

dum

um accederet promtitudo & alacritas, in
dmirationem rapuerunt multos. Sed quia
ula Hagensis in istis oppidis & urbibus
mnia pro suo arbitratu agit, neque con-
ilum aut civium assensum nisi in speciem
dhibet, ne sola imperare videatur, aulæ
pera effectum est ut omnes morti sint ad-
udicati, viri capite truncati, mulieres
qua submersæ. Articuli & dogmata præ-
ipua ob quorum professionem morti fue-
unt adjudicati, hæc fuere: Eos à fide Rom.
Ecclesiæ defectos, ejusdem ecclesiæ ba-
tismum damnare, anabaptismum proba-
e: Panem & vinum à sacerdote Rom.
Ecclesiæ legitimè consecrata negare in
corpus & sanguinem commutati, sed
sanguinis & carnis Christi symbola tan-
tum esse affirmare. Sacramenta quin-
que reliqua eos nullo habere loco. Da-
videm Georgium prophetam divinitus
excitatum, & ejus dogmata divina oracula
esse asseverare. Magistratus Delphensis a-
nabaptisticarum diversarum factionũ nul-
lum tenebat discrimen. Nam nec Hof-
mannicorum, nec Mennonitarum, nec
Monasteriensium, Batenburgensium, Da-
vidianorum ullam noverat distinctionem,
sed simpliciter vocabat anabaptistas, cum
dogmatum & factionum diversitas ipsis
esset ignota, Numerus captivorum fuit cir-
citer

citer 35. inter quos neminem extitisse ipse cum suis affirmabat non aspirantem, non magno affectu mortem oppetentem; tantum aberat ut eorum aliquis admissorum veniam peteret. Hujus rei in quadam ad amicum epistola scripta mentionem facit in hunc modum: Quis à condito mundo audivit tam numerosum cœtum tam promtè, tam alacriter, mortem non solum subeuntem, sed & avidè devorantem? quemadmodum frustum panis devorari solet à famelico. Neque hæc divina virtus solum emicuit in viris sed & in mulieribus atque puellis quoque. Nullus ibi repertus est infirmus, secundum illud oraculum: Nullus dicet vicino Elangui &c. Es. 33. 24. Imo omnes, juxta Zachariæ vaticinium, fuerunt fortes, & minimus inter eos robustus ut David. Ipse enim est (ut ait Es. c. 40. 29. 30.) qui dat lasso virtutem &c. Hujus vaticinii documentum in hoc nostro populo apparuit. mira de hoc negocio dicentur posthac. Neque enim sine gravi causa Deus hunc sui populi veluti florem objicit draconi devorandum, cum eorum mors in illius conspectu sit preciosa. Atqui numerum trucidandorum impleri oportere lib. apoc. & 4. Esdræ testes sunt. hactenus David. Inter hos 35. qui eo tempore trucidati fuere, extitit Maria mater Davi-
dis,

dis, quæ, propterea quod esset honestiore familia nata, post amputatum ejus caput in monasterio quodam fuit sepulta, cum aliæ mulieres aqua submersæ sub patibulo terræ fuerint mandatæ. Ad eundem modum tractati fuerunt & alii ejusdem religionis homines Harlemi, Amsterodami, Leidæ, Roterodami, & in episcopatu Monasteriensi, adeo ut intra biennium ferè 100 personę mortem obierint paucis exceptis. Nam tantum fuisse numerum ipse in quadam ad Lantgravium Principem supplicatione meminit, de qua supplicatione paulo post dicendi erit locus.

Quamvis autem in tanta persecutione & suorum clade ejus causa valde debilitaretur, atque ipse variis & incertis cogeretur vagari sedibus, tamen ab orbe per se restituendo sperare non desijt. Quare & longam orationem destinat ad Hollandiæ parlamentum aut aulam supremam. In hac se profitetur puerum & servum Dei, & testem Domini Sebaoth. In hujus nomine illis multa & varia proponit, sed inter cætera eos admonet ut à sæva qua in ejus fidei socios tantopere grassabantur persecutione cessent, neque amplus Romano Antichristo gratificari conentur innocentem sanguinem fundendo. Tempus enim adesse in quo Deus de ejusmodi crudelibus fa-

ctis pœnam ſit exacturus graviſſimam, totamque regionem puniturus ſuppliciis atrociſſimis. Idque quidem tanto citius futurum, quod ipſe ob hanc graſſantem ſævitiam, communem patriam, ut olim ſanctus Loth Sodomam, nunc deſerere quodammodo cogatur: cujus abſentia pœnas horribilius & citius advocatura ſit. Atque hic omnia & vet, & N. T. atrociora pœnarum à Deo impiis perſecutoribus irrogatarum exempla illis ob oculos ponit, quibus eos ab hoc tam crudeli inſtituto revocare conatur. Reprehendit deinde & exprobrat illis imprudentiam & ingratitudinem quam erga ſe & ſuos exercuerint & exerceant tantæ ſævitiæ continuatione: cum non ignorent ſe non hominem pugnacem, multo minus ad tumultus excitandos promtum & paratum ſed veluti agnum, ſimplicem, placidam, & quietam vitam perpetuo egiſſe. Imo ſuis conſiliis & ſcriptis aliquoties tumultus impediviſſe & repreſſiſſe, hocque opere communi patriæ magnum præſtitiſſe beneficium. Illorum erga ſe & ſuos tam conſtans & pertinax perſequendi ſtudium eſſe planè imprudens, deinde & patriæ pernicioſum: cum ipſe ejuſque doctrina tam ſeditioni amoliendæ quam concordiæ promovendæ utilis ſit & efficax, atque iccirco hactenus neceſ-

necessaria deprehensa. &c. Postremo petit ut apud Cæsaream majestatem de concilio generali indicendo agant, in quo sibi suisq; contra non tantum Romanos rasos, sed etjam contra nominatos euangelicos status, agendi libertas & locus detur. Se ibi irrefragabiliter ostensurum & convicturum, eos ad unum omnes vera sapientiæ luce, veritatisq; vigore & efficacia destitutos, suos principes turpiter seducere, & recto itinere per inferorum valvas miserè ad interitum ducere: se vero divinitus delectum & excitatum ut veritatem per totũ terrarum orbem illustraret, & ab omnibus falsorum prophetarum imposturis vindicaret, denique ut universa terra refocillata & ab Antichristi violentia liberata se recipiat ac in justitia clementiaq; conditoris sui spem collocaret. Nam cum totius mundi Principem, veterem scilicet hominem, virtute Christi prostratum, pedibus suis habeat subjectum, nihil sibi ab omnibus ejus membris, sapientibus scilicet & potentibus esse metuendum, sed Deo suam virtutem ex se suæque fidei sociis & eorum oratione & factis exerente, eos omnes pavore correptos clamaturos: In fugam convertamur omnes, actum est enim de nobis: Quia Dominus hanc novam Sionem fundavit, & in ea fiduciam habebunt pauperes populi ejus,

4. Esd. 11.

Es. 14. 32.

diem enim hunc Domini ſupra omnes ſu-
perbos & arrogantes graſſaturum, & De-
um nunc ſolum ſuperiorē, Regem, & Prin-
cipem futurum ſuper terram, eamque
concuſſurum ſuæ majeſtatis ſplendore, &
Eſ. 2. 11. 12. vindicaturum innocentem ſanguinem tam
crudeliter profuſum. Caveant igitur ſibi à
violentis illis conſiliis Scribarum & Phari-
ſæorum, qui tantum neces, ſectiones, uſtu-
ras, & direptiones ſpirant, & hac ratio-
ne totam terram polluunt, Deique indi-
gnationem in eam accendunt. Horum con-
ſiliis & conatibus niſi obſiſtant, & afflicto-
rum patrocinium adverſus illa Antichriſti
flabella ſuſcipiant, tum eos una cum illi
brevi perituros. Tempus enim adeſſe u
deiiciantur de ſuis ſoliis principes impii
eorumque imperia evertantur, & in eorum
locum ſubſtituantur qui judicium & juſti
tiam exerceant in terras. ſecundum illu
4. Eſd. 5. 6. Regnabit quem non ſpe
rant incolæ terræ. Adverſus hoc Dei con
ſilium nullam valere ſapientiam & poten
tiam humanam. Domini enim furorem
quaſi procellam jam egreſſum, non rever
ſurum donec exequatur quod propoſueri
Arcum iræ ejus jam intenſum, & mortife
tela admota eſſe, ut petat impios & viole
tos terræ gubernatores. Hoc certo certi
futurū, niſi brevi reſipiſcendo patrociniu
injuſ

injuſte oppreſſorũ ſuſcipiant, eoſq; tegant & defendant adverſus magnum & ſanguine rubentem draconem, Antichriſtum videlicet Romanum. Hæc cum ita ſe habeant, nihil melius & utilius eos facturos, quam ut ſibi ſuiſq; communem hunc aerem tuto permittant, & ut labore manuum atq; aliis honeſtis rationibus ſibi victũ comparent, concedant, ſalva ſuæ religionis fide. Neminem ſuorum contra eorũ leges alias vel muſſaturũ, ſed alacriter ad omnia æqua officia & ſervitia preſto futurũ. hoc perquam ſalutare toti terræ futurum. Tempus enim adeſſe in quo oporteat novam Ieruſalẽ reſtitui, templum reædificari, & ejus palatia atque ædificia ſpiritualia inſtaurari: id etiam nullum quantum vis potentem Principem impedire poſſe. Deum enim eſſe qui adimere poſſit vitam Principibus, & terrere etiam ipſos reges, licet Domini eſſe videantur univerſæ terræ: brevi eum ſe oſtenſurum in ira ſua Agnum illum à cujus facie & Reges, & principes & tribuni, & fortes & divites ſe abſconſuri ſint in ſpeluncis & petris montium, dicturique iiſdem montibus & petris (hoc eſt, populo quem hactenus perſecuti ſunt) Cadite ſuper nos &c. ap. 6. Tum gubernatoribus perquam ſalutarie futurum, ſi in illorum ditione tales adhuc reperiantur montes, ſub quorum ſcuto &
 tutela

tutela latitare possent. Magnum esse Dei beneficium qui dignetur eis hanc salutarem conditionem offerre, quam si neglexerint aut impediverint, tum eos malè & miserè perituros &c. Videant igitur etiam atque etiam ne sibi ipsis suæq; saluti desint ipsi, nam ipsum eventum & finem apertè demonstraturum quod hęc illis non humano consilio tantum proponantur. Curēt iccirco vi hæc Cæsari & toti Imperio nuncientur, cæterisque principibus omnibus, quos omnes brevi se visurum, & cum illis coram se collocuturum speret, Deo suo id permittente. Se non delirare aut mentis morbo temeri. Viderint igitur ne hoc tantum negocium negligenter transmittant aut fastuose contemnant. Hæc & multa alia, ex psalmis & prophetis collecta & non inconcinnè composita magnum aliquibus Senatoribus incusserunt timorem, metuentibus ne haberet aliquem Anabaptistarum excercitum paratum, cujus præsidio fretus tam insolenter Cæsareæ majestatis totiusq; Imperii sapientibus & consiliariis insultaret, cum præter suos enthusiasmos & ecstases nihil omnino præsidii haberet. Is qui has literas penes se ferebat casu quodam incidit in manus magistratus Leidensis, cui etiam eas tradidit, monens ut eas mitteret & exhiberet Senatui

aut Parlamento Hagano, quod & factum est, cum ipse tabellarius paulo post capitis pœnam dedit.

Eodem ferè tempore David destinavit legationem ad Philippum Illustriss. Hassiæ Lantgravium, una cum prolixis literis tradendis Principi: in quibus humiliter petit, ut benignè audirentur ea quæ in iisdem literis in Dei sui nomine proponeret. In quarum literarum initio graviter queritur, quænam sit causa, ut ij Principes quibus mandata sit & veræ religionis cura, & afflictorum defensio, tantã injuriam & violentiam tamq; nefandam crudelitatem, quam in oves Christi excerceant leones, ursi, leopardi & lupi, tam supino animo aspicerent? Annon ipsis præ aliis data sit magnanimitas, generositas, fortitudo, potestas, ut patrocinentur humilibus, & à calumnia liberent inopes humano præsidio destitutos, redimantque illorum vitam & vindicent è manu truculentorum judicum? An non sit valde deplorandum in Christianismo, quod tot florentissimis principatibus & provinciis præsint non tantum viri effœminati, sed etiam fœminæ ipsæ? (obliquè perstringit aulam Brabanticam, quam vocant domum Burgundicam, quæ jam à multis annis gubernata fuit à mulieribus. Primo à Maria Caroli potentissimi ducis filia, postea

uxore Cæsaris Maximiliani primi: deinde à Margareta Maximiliani filia, Philippi sorore, Caroli Cæsaris amita. postremo cum David hæc scriberet, à Maria Vngariæ regina Caroli 5. Cæs. sorore. Cui postea à Philippo Caroli filio surrogata fuit Ducissa Parmensis, Caroli filia notha.) Annon hoc sit certissimum argumentum regiminis Antichristi, qui in s. literis adunbratus sit sub persona reginę Babylonię, atque meretricis magnæ illius quæ ex poculo abominationis omnibus terræ regibus, principibus & populis propinet, eosque omnes vino iræ Dei inebriet, & sanctis trucidatis impios efferat & præficiat Principibus & provinciis? Atque hic imaginem planè respondere suæ rei, umbram suæ veritati: dum mulieres hodie provinciis & corporibus imperent, ad eum planè modum quo illa Babyloniæ meretrix omnis abominandæ idololatriæ mater omnium principum virorum direxerit & ad suum arbitrium moderata sit mentes, illorum sceptris & potestate abusa in veræ religionis subversionem & omnis idololatriæ promotionem. Hinc totum terrarum orbem impletum & consitum esse zizania, hoc est filiis iniquitatis, extincto vel oppresso vero frumento. i. filiis regni. Se mirari hæc non observari à principibus

viris, neque malum hoc tam impotenter grassans impediri ab iis quibus pro suo officio injunctum sit ut bonos & pios defendant, atque impediant eorum oppressionem & dissipationem. quæ, proh dolor! jam nimis diu sine modo & fine grassata sit: præsertim in hanc suam afflictam & pauperculam ecclesiam, quæ omnium afflictionum & malorum non solum vinum sed & fæcem sorbere coacta sit, exuta facultatibus omnibus, excarnificata per exquisitos suppliciorum cruciatus, aut minis & terroribus perculsa, ut ne hiscere quidem audeant ejus reliquiæ exiguæ. Nullum interim principem virum prodire qui se talibus furiis opponat &c. Cum autem intelligeret Principem singulari moderatione & clementia uti ergo eos qui purioris religionis essent studiosi, & tantum abesse ut exerceret in tales sævitiam, ut eam quibus posset rationibus & modis etjam in aliis regionibus impediret, & periculum illud persecutionis tantum in suos & suorum humeros incumbere videretur, ut in eos qui soli præ aliis hominibus essent perniciosi, eosque corrumperent, potissimum ad ipsum hanc legationem & hoc scriptum mittendum esse duxisse. Rogare autem ne credat adversariis qui suum justitutum tam doctrinam quam populum va-

riis & injuſtiſſimis calumniis deforment. Se & ſuos ſyncerè timere Deum, & juſtitiam verè colere, palam eſſe omnibus cordatis civibus in patria. Hoc ita eſſe inde etjam patere vel adverſariis, quod ij noctu jam trucident & mergant ſuos, ne à vulgo deprehendatur crudelitas, quæ cum ſit atrox, illis invitis tamen innoteſcere civibus. Hæc ita ſe habere etiam principem facile deprehenſurum ſi diligenter de ea re inquireret, atque deinde facile intellecturum quid in tanta re ſui eſſet officii. Sed jam ferè periiſſe ſanctos omnes in illa terra, & vix reperiri inter homines æqui rectique ſtudioſos. Vineam enim Domini vaſtatam eſſe à ſylveſtribus apris. Quia autem ipſe vocatus & delectus eſſet in Paſtorem & Ducem gregis Dominici puſilli, ut eum paſceret, & in vallem Achor re-
Eſ. 65. 10. Ezech. 34. 18: duceret, hinc in ſe omne genus hoſtium, ceu lupos & hircos in oves, iratum irruiſſe, & limpidioris doctrinæ aquas conturbaſſe. Sed Deum brevi judicio quidem juſto ſed omni carni occulto judicaturum & vindicaturum. Cum igitur hæc & alia myſteria plurima principibus viris ſuo tempore patefacienda, ſibi eſſent concredita, & ipſe occulta Spiritus virtute impelleretur officium ſibi injunctum explere: & ſimul ex viris fide dignis intelligeret Lantgravium

vium principem divinitus impulsum ut veram religionem ornaret, & ejus morbis curatis falsitatem profligaret, non potuisse non scribere ad illum, eique nunciate, & certiorem reddere, de nova veritatis luce jam apud se suosque exorta, & de fundamento nunc apud se deposito, nunquam labefactando, quæ amplissima bona ei communicare cupiat. Sed tanti boni eum participem fieri non posse nisi ad modum sapientum magorum orientalium diligenter investiget & percontetur, in qua orbis parte lux illa oriretur, & unde FILIUS ille esset vocandus. De hac re multa quidem grandia dici posse, sed majora, sublimiora & preciosiora esse quam ut talia & tanta nunc chartis primo demandanda & transmittenda sint: cum Is qui ab Oriente excitandus sit, à propheta prædictus sit venturus ad Principes. Sane non vulgaria esse quæ sibi revelata sint, & tale fortasse nihil hodie in terris extare. Quocirca se paratum esse ut se omnibus Sapientibus, Pastoribus & Gubernatoribus sistat.. Imo se eos omnes provocare ad certamen, & ad eximiæ alicujus sententiæ euangelicæ explicationem & enodationem invitare. quam si rectè explicare & enodare non potuerint, tum ipsos postea abstinere debere à docendo, & discere ab eo qui hoc

Ex Ægypto vocavi filium meum.

Es. 41, 25.

cantum

tantum myſterium revelare & illuſtrare poterit. Nam eo myſterio verè illuſtrato totam terram inſtauratum iri, & felicem fore, atque ſcientia Dei inundandam. Maximi momenti hoc eſſe negocium, neque tale quid unquam in terris cuiquam Principi fuiſſe oblatum: Hæc in alteris literis his adjunctis, quas ad univerſos Imperii ordines ſcripſerit latius declarari: In quibus ex Dei ſui mandato omnibus ejuſdem Imperii ſapientibus quandam euangelii ſententiam propoſuerit explicandam: nimirum hanc: Nemo novit filium niſi Pater, & Patrem nemo novit niſi Filius, & cui Filius voluerit revelare. Hac ſententia ritè explicata, eaque interpretatione ab omnibus admiſſa, omnes religionis controverſias finem accepturas, & ſolidam concordiam firmamque pacem ſubſecuturam. Hinc enim palam fore quinam divinitus miſſi, & quinam potiſſimum audiendi & ſequendi ſint, cum præter hos nulli alii Dei verbum habeant. Hoc negocium ſi Princeps ad Dei Patris gloriam & bonorum utilitatem promovere ſtudeat, tum eum apud Deum ex hac ejus erga veritatem & juſtitiam fide & charitate magnam conſecuturum benedictionem & gloriam. Ptocuret igitur, ut inter ſe ſuoſque adverſarios interim dum reſponſum

benignum

benignum tum ab eo tum ab Imperii ordinibus accipiat, ſit pax, quies, & securitas. Se enim nuſquam tutum habere locum, cum omne genus malorum ſpirituum tum ſuæ tum ſuorum vitæ inſidietur. quorum indicio & proditione ſi tollatur (ſi Deus id permittat, quod tamen minimè fore putet) tum demum Principem intellecturum, quantum hoc beneficum ei per ſe oblatum atque ab ipſo imprudenter neglectum, ei ejuſque, fœlicitati detrimenti.ſit allaturum. Hæc divini Spiritus impulſu ad concordiam & tranquillitatem proponi. Ad quam conſtituendam ſibi ſanè magna & inſignia dona ſint concredita & reſerata, ſi tempus concederet ut publicè proponerentur. Nihil per hanc revelatam diſciplinam, ſi ea obtinuerit publicè, periclitaturum, niſi iniquitatem & deploratam ac petulantem arrogantemque malitiam: quæ vera ſit illa zizania, quam cœleſtis Pater non plantaverit, & iccirco ex regni ſui agro eradicari & comburi voluerit. Conſilium hoc tam ſalutare ut cupidè admittat præterea monet, cum cœlitus illud prodierit, quod & eventus comprobaturus ſit in potentia & virtute: qua iniquus ille & ſceleratus interficiendus & perdendus, ſecundum Danielis & Pauli oracula. Omnipotentem enim illum ſermonem

monem finem ei impositurum Fœlicem fore illum qui huic sermoni non reluctetur. Ad hæc petit ut tabellarium coram admittat, neque ei per alios respondeat. Precatur etiam cum legato sapientiam, tum Principi æquitatem; quo ex vero & non secundum personæ speciem minimè illicibilem judicet. Postremo petit ut altera hisce adjunctas literas tradat Imperatori Carolo, si modo id ab eo commodè fieri possit. Nā pro certo se affirmare hoc suum consilium esse à Deo, & non ex se tantum, imo se tum Lantgravio tum reliquis Principibus constanter affirmare, sibi revelatam & plene intuendam fruendamque datam æternam vitam. Imo quæ ipse in spiritu tum viderit, tum audierit, tum gustaverit, suo tempore esse patefacienda, cum PVER ILLE magis adhuc profecerit sapientia, ætate, & gratia. O si scivissent tam Cæsar quam Reges & Principes reliqui, atque etjamnum scirent, quæ ipse sciat, sanè eos nulli vel labori vel sumtui parcituros, quin cum pro sua tum suorum regnorum salute se vel ex ultimis terrarum angulis etiam mansionatim inquirerent, vocarent, & ad suas aulas deduci curarent. Se hæc loqui ex vitâ Dei quam acceperit, ipse alioquim indignus servus, sola Dei misericordia ad hoc munus præ-
destinatus

eſtinatus & delectus. Ad hanc tantam be-
edictionem mature conſequendam nihil
ræterea deeſſe præter benignam audien-
iam & ſimplicem fidem. Se iterum affir-
nare, hoc ſuum teſtimonium tam magnum
ſſe quam ullum unquam in terris extite-
t. Se quidem noviſſe, quid dicat, ſed fidē
bi non adhiberi: imò vitæ ſuæ potius in-
dias ſtrui, quantumvis multa beneficia
n eos ipſos ſuos hoſtes aliquando cõtule-
it. In fine orationis admonet Principem,
e offendatur ſi non uſitatis titulis eum ſa-
utaverit & paſſim in hoc ſcripto inſigni-
erit, id enim non ex ſuperbia & faſtu
ſſe omiſſum, ſed quod ſibi datum non
uerit. ſe eum amare, & cupidum eſſe vi-
endi faciem ejus, atque etiam exoſculan-
i eum: Deum reſpicere ad illum & agno-
cere ejus Zelum, eum etiam certo impe-
raturum quod ex fide quærat. Obſervet
mnia hæc verba diligenter, magni enim
egocii rem eſſe, imo tale tempus quale
e nunc prodat nunquam extitiſſe. Vnicam
utem prioribus ſermonibus ſe adhuc velle
ddere ſententiam, nimirum hanc: Vt
uiſque Principum & doctorum ad reſti-
utionem rerum omnium ſuam maximè
npendat & conferat operam, non tamen
em ſucceſſuram niſi per manus illorum
ui & ipſi primùm reſtituti ſint. Externa

quidem per Principes eorumque theolo-
gos reformari posse ex Dei consilio, sed
interna, ubi rei radix & fons existat; per
verè spirituales purgari oportere. Postre-
mo Principem orat ut sibi caveat à delato-
ribus & calumniatoribus, qui suam cau-
sam falsis criminationibus depravare stu-
deant, quibus ipse tamen propter igno-
rantiam eorum omne precetur bonum. fi-
nem ostensurum esse an fallacia & frau
in ejus sit instituto. Recogiret Dominum
in sanctis multa oportere pati antequam
ingrediatur in suam gloriam. Multa sub
ejus nomine in lucem edita depravata esse
ab aliis, ne autem ea morentur ipsum, ro-
gare se. Christum non solum viventem
sed & post mortem pessimè audivisse à
suis. Se quidem parum curare quid de se
homines sentiant. quamvis autem litera-
tarum linguarum, tum & humanarum di-
sciplinarum usum non habeat, tamen Prin-
cipi cogitandum esse, Dei laudem in cœ-
lum extollendam insertam & positam esse
in ore infantium & lactentium, per quos
& se vindicaturus sit de hostibus suis psal.
8. & Es. 32. Literas has quidem esse pau-
peres, sed earum sensum esse divitem, imo
supra omnia quæ hactenus extiterunt.
Cognitionem magnitudinis rei se ut ita
loquatur impellere. finem hoc ostensurum.

Ha

Hæ literæ ſcriptæ ſunt in Hollandia A° 1539. Hiſce autem literis & aliæ de quibus ante mentio facta eſt adjunctę & ſcriptæ erant, per Lantgravium Principem tradendæ Carolo Imperatori reliquiſque ordinibus. Titulus ſcripti talis erat: Humilis & ſeria admonitio impulſu omnipotentis Dei Schadai conſcripta, diligenter quidem obſervanda, quia continet ea quæ faciunt ad æternam ſalutem vel conſequendam vel amittendam. Argumentum ſcripti tale eſt: Poſt prolixam de mundi cœcitate deplorationem, & ingentis ſapientiæ, veritatis, & virtutis ſibi divinitus revelatæ gloriationem, veluti thema tractationis in generali Concilio futuræ, aut veluti ænigma explicandũ, proponit Chriſti verba, quæ extant apud Matth. c. 11. & jam antea in oratione ad Lantgravium recitata ſunt. Horum autem verborum genuinum ſenſum neminẽ in Chriſtianiſimo poſſe explicare autumabat. Nimirum, quis (inquit) & ubinam ſit ille Filius qui ſolus novit Patrem: & quiſnam ille ſit, cui Filius (hoc ſeculo) Patrem revelarit. Et quia hæc particula (Cuicunque) ab euangeliſta poſita eſt ſingulari numero, ſtatuebat inde fanaticus uni tantum homini à Chriſti Spiritu cœleſtis Patris myſteria eſſe patefacienda: & per eum unicum, hoc eſt, per ſe,

deinde cœteris electis. i. suæ fidei hominibus communicanda, atque ita demum longè lateque propaganda. Quemadmodum autem Pharao & Nebucadnezar de somniorum suorum interpretatione vera frustra consulebant Ægyptiacos & Chaldaicos sapientes, magos, & conjectores, quemadmodum & Balthasar de scripto Dei manu in parietem impresso, cum earum rerum germana interpretatio tantum concredita esset Iosepho & Danieli, ita & Principes Imperii frustra suos theologos & legum peritos de germana hujus loci interpretatione consulturos, cum nemo scire possit, quisnam & ubinam sit ille Filius, nisi is solus in quo denuo regenitus & veluti incarnatus sit. Et huc referebat quæ leguntur 4 Esd. 13. 52. Ex isto igitur dicto Christi rite à se explicato omnes agnituros quis & ubinam sit ille Filius, & quis ille sit cui Filius suum Patrem revelarit. Quis & ubinam, hoc est, in quo sit Agnus ab initio mundi mactatus, Leo de tribu Iuda, qui peccatum, mortem & inferos vicerit in se, & iccirco dignus sit qui accipiat divitias, sapientiam, potestatem, honorem gloriam &c. ap. 5. 11. Quemadmodum autem Iosephi, Danielis, & Zerubabelis pietas & sapientia apud Deum quidem essent clara, obscura vero & neg-
lecta

lecta contemtaque in mundo apud reges illos & monarchas, donec illos divinæ ſcientiæ inopia ad horum divinorum hominum inquiſitionem compelleret, ad eundem modum brevi ſe tantæ divinæ ſcientiæ inopiam proditurum, ingruentibus videlicet in comitiis imperialibus multis perplexis controverſiis, aliiſque neceſſitatibus variis, ut de hoc novo homine Chriſto Davide inquiſituri ſint, quo loco videlicet hæreat & moretur ille &c.

Hanc ſpem jam olim in neſcio quibus enthuſiaſmis vel ſpectris conceptam in eo confirmaverat ſomnium à quodam ejus ſectatore nuper habitum, in quo viderat totius mundi Reges & Gubernatores in generali concilio congregatos ſe ſuaque omnia contradere & conſecrare Davidi & ſuis: quemadmodum olim Ioſepho propter inſignem ipſius ſapientiam totius Ægypti poteſtas & regimen & gubernatio fuit concredita, & Zerubabeli de veritatis efficacia & præſtantia diſſerenti oblata fuit conditio ut quidvis peteret, propterea quod inter tres adoleſcentes ſapientiſſimus inventus eſſet. Quemadmodum autem hi non requiſiviſſent à regibus illis aurum, argentum & alia externa, ſed potius quæ facerent ad Dei Iſraelitarum gloriam illuſtrandam, ita & hunc ſpiritualem

Iosephum, Danielem, Zerubabelem &c. post omnia mundi regna sibi à Monarchis ultro oblata, nihil aliud ab eis petiturum quam ut totus orbis instauraretur & imbueretur hac nova Christi Davidis doctrina, per cujus obedientiam Deus in hoc novo cœtu plenè agnosceretur, & ipsius gloria celebraretur. Sed hæc blasphema postea in altera quadam epistola ad Comitia Imperii A° 1541. missa plenius declarabuntur, nunc ad narrationem redeundum est. Consiliarii Principis Lantgravii non per omnia intelligebant linguam Belgicam qua omnia erant conscripta, multo minus quicquam de ejus nomine, nedum de fanaticis dogmatibus quicquam habebant compertum. Interim tamen ex literis subolfecerant eum in Principis aut alia ditione petere vel tutum locum vel defensionem. Quod cum esset Principi renunciatum, curavit Princeps ut significaretur legato vel tabellario: suam ditionem patere omnibus propter euangelicam doctrinam in aliis ditionibus periclitantibus, si modo consensum doctrinę Augustanæ confessionis candidè & simpliciter sequerentur, aut ex verbo Dei ostenderent, si quicquam cum apostolica doctrina pugnans in ea confessione contineri arbitrarentur. Sub ejus gubernatione quam primum essent

constituti, se statim apud aulam Brabanticam diligenter acturum ut eorum facultates sequerentur. Vt autem Cæsari ejusque Gubernatoribus & aulis præscriberet quomodo suas provincias gubernarent, quas pœnas de reis sumerent, quos denique absolverent, ad se non pertinere, neque enim passurum ut Cæsar sibi ad hunc modum præscribat. &c. David autem ex sui sectatoris somnio in mirificam Imperii consequendi spē erectus anxiè expectavit ut publica tanti Principis auctoritate revocatus, universis Imperii Ordinibus commendaretur tanquam novum mundi miraculum: atque hinc minime contentus fuit hac quæ à Principe Lantgravio offerretur honesta & Davide indigna conditione.

Tempus in quo hæc legatio facta est, erat Annus 1539. in autumno. Legati vel tabellarii nomen fuit Georgius Ketel ex nobili patre natus. Hoc eodem anno in ditione Illustriss. Principis Hassiæ aliquot Anabaptistæ in vincula conjecti à summo Magistratu petierunt ut ad suæ doctrinæ defensionem aliquot doctores ex aliis ditionibus convocatos in publica disputatione sibi adesse suasque partes tueri concederetur, quos si à theologis in disputatione superari vel erroris convinci deprehenderent, tum libenter sua sententia cessuros,

&c in illorum ſententiam & ſocietatem eccleſiaſticam pedibus & manibus ituros. Quod cum eis ab Illuſtriſſ. Principe concederetur, ex Argentina aliqui peritiores evocati ad publicam diſputationem comparuerunt. Qua in diſputatione Hofmannici vel inviti deprehenderunt quædam ſuorum dogmata non uſquequaque eſſe ſolida, ægreque defendi poſſe ſcripturis, quare & inde remiſſius ea tueri cœperunt, petieruntque ut ulterius de iis cogitandi & deliberandi tempus daretur. Quod cum doctiſſ. & piiſſ. vir D. Mart. Bucerus ſubolfeciſſet, non deſtitit inſigni qua præditus erat humanitate & induſtriâ ſolicitare omnibuſque argumentorum præſidiis urgere, donec magna ex parte flexos paulatim eos ad ſuæ eccleſiæ unitatem reduceret. De qua tranſactione ibi tunc temporis facta teſtimonium ſcripto comprehenſum extat, fuitque poſtea ad omnes ubique anabaptiſtarum doctores & populos tranſmiſſum. Ad hanc cum eccleſia Argentinenſi doctrinæ concordiam & rituum conformitatem ineundam non parum Hofmannicis profuiſſe arbitror, quod poſt longam quarundã prædictionum per Hofmannum & alios novos vates factarum expectationem, eventus minime reſponderet promiſſis: Et quod ſingulis ferè annis

novi

novi vates omnium rerum ſtitutionem promittentes, vel potius mentientes, eos in primis accederent & ad ſocietatem invitarent: quos dum refutare laborarent, multa ab ipſis vel imprudentibus dicebantur & ſcribebantur, quæ non minus ſuum contra noſtras eccleſias, quam adverſariorum ſuorum inſtitutum impugnare ſibiipſis videbantur. Accedebat D. Buceri in eccleſiaſtica concordia promovenda incredibile ſtudium & incomparabilis induſtria dexteritaſque cum ſumma æquitate & modeſtia conjuncta. Quare non piguit illum adverſariis nonnunquam humaniter inſervire, & ubi ſpes aliqua revocandi affulgeret, concedere eis aliqua in parte, ſalva veritatis ſumma. Concedebat igitur Hofmannicis, quod ipſe ſuique ſymmyſtæ initio cum eccleſias à fermento papiſticorum errorum & abuſuum repurgare conarentur, non ſemper & ubique eam cautionem & ſeveritatem quam apoſtolicæ & primitivæ eccleſiæ exempla requirunt, adhibere potuerint. Quemadmodum enim Iſraelitæ poſt ſuæ captivitatis (ob doctrinæ & cultus profanationem & morum improbitatem perpeſſæ) reſtitutionem, non tantum viſibile templum, & in eo priſtinum à Deo inſtitutum cultum inſtaurarent, ſed etiam publicam ſuæ anteactæ impietatis & ſce-

lerum pœnitentiam & exomologesim facerent, & fœdus olim cum Deo initum sed impiè ab ipsis rescissum renovarent, & ad illud fideliter posthac servandum juramento se astringerent: ita & se suosque symmystas docuisse, non tantum publica sacrorum loca à superstitiosis cultibus repurgare, & doctrinam atque ritus emendare, sed etiam realem de tot peccatis tum in religionem, tum in morum honestatem designatis deplorationem & detestationem coram tota ecclesia facere, quemadmodum & suæ fidei professionem, atque in obedientam Christi & ecclesiæ oblationē & addictionem edere. Et cum omnes jam ante in papatu baptizati vim & usum baptismi ignorent, propterea quod omnia peregrina lingua acta sunt; doctrina etjam de baptismo, deinde & ipse ritus non uno modo sit corruptus & contaminatus, non debuisse ad cœnæ Dominica participationem admitti nisi eos qui prius probè in vera religione edocti ipsi Christo Domino & Ecclesiæ nomen dedissent, & fidem veram cultusque puros erga Deum, & obedientiam erga ecclesiam se posthac præstituros professi fuissent. Ingenue etiam fatebatur anabaptisticis fratribus non levem offensionem fuisse oblatam & relictam diu, in eo quod quædam ministerii partes
neces-

necessariæ nondum fuissent restitutæ: nimirum usus privatarum eorum qui delinquunt admonitionum, & eorum qui repelles, refractarii vel palam scelerati sint, coërcitionum. Item eorum qui delicta agnoscunt ad pœnitentiam edendam & peccata publicè confitenda ligationis: pertinaciter vero in impœnitentia perseverantium, & ecclesiæ judicium contemnentium excommunicationis: & abstentorum & excommunicatorum evitationis. &c. etsi autem in harum rerum necessariarum neglectu aliisque defectibus per se suosque peccatum fuisset hactenus multis in locis, eoque peccato anabaptisticis fratribus data esset offensio non levis, non tamen justam subfuisse causam, ut ob earum rerum defectum ipsi ab omnibus ecclesiis ad normam euangelii in doctrina & ritibus non infœliciter reformatis, se segregarent, nedum novas constituerent, multo minus in ea falsa dogmata confingerent, aut ab aliis conficta retinerent & propagarent. Hæc se tamen non eo commemorare ut fratres pudore afficetet aut ullam molestiam afferret, sed potius ut causa disjunctionis quæ hactenus magno ecclesiæ malo in usu fuerit auferretur, & concordia nunc fœliciter inita magis ac magis confirmaretur &c. Hæc Buceri &

 coopera-

cooperariorũ æquitas vel condeſcendentia effecit ut non tantum potior & major ſectę pars ad Eccleſiæ Argentinenſis unitatem aggregaretur, ſed ut & ſectæ auctor Melchior Hofmannus ſua quædam dogmata improbata retractaret, & quędam à ſe non tantum imprudenter ſed etiam turbulenter tentata, mota, & facta fuiſſe ſcripto profiteretur. Retractationis præcipuæ partes erant hæ: Cum ex colloquio cum ſuis fratribus habito nunc demum intelligeret, ſe, quod ex mendoſis hiſtoriis hactenus affirmarit, baptiſmum parvulorum à quodam Nicolao pontifice Rom. fuiſſe inſtitutum, eſſe deceptum, & ex hiſtoriis eccleſiaſticis fide dignis & ſcriptoribus vetuſtiſſimis, Irenæo videlicet, Tertulliano, Origene, Cypriano &c. conſtet, ab Apoſtolorum tempore infantium baptiſmum fuiſſe in uſu: ſe propter hujus ritus uſum purum à communione Argentinenſis eccleſiæ abſtinere, nedum ab ejus unitate ſe avellere non poſſe: ſed libenter ſuos infantes, ſi aliquos haberet, ejuſmodi eccleſiis ut in iis baptizarentur oblaturum. Orat etiam ſuos omnes, obteſtaturque eos graviter, ne ſe in ea re præſtanda difficiles exhibeant. De dogmate, quod peccata à renatis data opera commiſſa non habeant remiſſionem, fatetur ſe ex fratrum &

aliorum

liorum admonitione deprehendisse in scripturis, quod peccata voluntariè etiam ab ecclesiæ membris eximiis designata, nonnunquam pœnitentibus fuerint remissa, ut Davidis adulterium cum homicidio conjunctum, Petri apostoli abnegatio cum perjurio conjuncta, incestus Corinthiaci. Quod attinet ad Valentinianum dogma de incarnatione Domini, quamvis se in eo retractando difficiliorem præberet, propterea fortassis, quod ipse illud non ab aliis anabaptistis mutuatus fuisset, sed excogitasset, aut ex scripturis perperam intellectis hausisset, atque in eo defendendo & commendando aliis, multum operæ collocasset, imo tanquam cœleste oraculum in multis libellis orbi obtrusisset, tamen fassus est se in eo errasse, quod unam tantum in Christo naturam constituisset, cum negari non possit, eum non minus esse verum hominem quam Deum. Et cum Argentinensis ecclesiæ ministri hac confessione, quod Christus non minus sit verus homo quam verus Deus, sibi satisfieri patiantur, illudque mysterium humanę mentis captũ excedat, orare se fratres suos omnes, ut omni ulteriorum istius mysterii indagatione & discussione omissa, huic veræ confessioni subscribere & inhærere non graventur. postremo, quamvis Lutheri

& Zuin-

& Zuinglii de prædestinatione & libero arbitrio dogma in suis libellis, sicuti etiam in disputatione Argentinæ Aº 1533 habita, impugnaverit, nunquam se tamen fuisse in hac sententia, quod homo suis viribus vel industria sine speciali Christi gratia veram justitiam inchoare, nedum facere possit. Quocirca, si vel oratione, vel libris unquam quicquam quod cum hac sua confessione pugnet, docuerit, orare ut ad hujus confessionis normam interpretentur: ipsumq; in hac moderatione utenda sequantur, quo tandem perniciosa divisio, magno cum ecclesiæ scandalo nimis diu retenta tollatur, & ad concordiam veram via aliqua, præsertim hoc in loco, paretur: Idque eo magis, quod ecclesiæ ministri promiserint, se omnem posthac diligentiam adhibituros, ut quarundam ministerii partium defectus suppleatur. & ut ipsi in ea re præstanda fidem fallerent, aut eorum pium conatum successus destitueret, se tamen in promovendo syncerae doctrinæ & puritatis rituum, atque justi disciplinę vigoris studio ad extremum spiritum perseveraturum. &c.

Quamvis autem in ea factione nõ deessent qui hanc piam & utilem transactionem improbarent, & tanquam apostasiam traducerent, seque deinde vel ad Huteranam,

am, vel Schweitzeranam, vel Menno-
iticam anabaptiſtarum factionem adjun-
erent, vel ab omni eccleſiarum commu-
ione ſolitarii & neutrales viverent, tamen
oc D. D. Buceri, Capitonis, Hedionis,
ellii &c. moderatione & ſedulitate ef-
ectum fuit, ut Hofmannica ſecta poſt il-
ud tempus nunquam priſtinas vires ite-
um accipere potuerit, ſed ejus nomen in
niverſum ſit extinctum. præſtitit & egre-
gius vir D. Io. Calvinus eccleſiæ Chriſti
idelem operam erga eos anabaptiſtas qui
n ea urbe gallicâ linguâ utebantur: in qui-
bus à ſocietate errorum revocandis, & ad
ecclesiæ unionem reducendis ipſe tanto
faciliorem habebat cauſam, quod eccleſia
Gallica ejus potiſſimum miniſterio in ea-
dem urbe recens conſtituta, ornata eſſet
diſciplinæ eccleſiaſticæ uſu. Inter hos Gal-
licæ linguæ homines fuit & Io. Stordene
Leodienſis, cujus conjugem nomine Idel-
lettam Burenſem poſt ejus mortem D. Io.
Calvinus ſibi in uxorem adjunxit. Cum
autem in hac deſcriptione vitæ Davidis
crebra inclytæ urbis Argentoratenſis, &
Hofmannicorum, eorundemque dogma-
tum fiat mentio, putavi hiſtoriam de ho-
rum reſipiſcentia inſerendam fuiſſe. nunc
recurrat narratio ad Davidica negocia.

Cum autem ex tot & tam amplis & ma-
gnificis

gnificis pollicitationibus, fœlicitatumque eventibus, quos jam ab initio ſuorum enthuſiaſmorum & poſtea in variis libris & opuſculis futuros prædixerat David, ne unus quidem eveniret, ſed contraria potius omnia: nimirum ut Batenburgici in ſua ſecta defendenda & ipſum Davidem perſequendo perſeverarent, Argentinenſes Hofmannici vero cum Mennonitis ejus doctrinam non tantum repudiarent, ſed & acriter refutarent, Monaſterienſium etiam reliquiæ in Weſtphalia & triplici Friſia degentes tandem ejus ſocietatem deſererent, poſtremo & optimi & primarii ſectatores, per quos ſe totum orbem innovaturum ſperaverat, in urbe Delphenſi & alibi infœlici fato eſſent ſublati, à Lantgravio Principe Illuſtriſſ. aliam reſponſionem accepiſſet quoque quam expectaverat, cœperunt ejus res valde anguſtæ fieri, pecuniarumque inopia ingruere. Cui amoliendæ aliquot epiſtolas hinc inde ad ſectæ primarios emiſit, deplorantes temporum infœlicitatem, quod pietati & veritati adeo nullus eſſet honor, nullus reſpectus, ut panem ferè mendicare cogeretur, cum olim à regina Sabæa ab ultimis terræ finibus Salomon & ejus ſapientia (magna quidem illa, ſed nullo pacto cum ea quæ nunc propoſita ſit, comparanda)

fuiſſet

fuiſſet quæſita, & ampliſſimis donis ac muneribus honorata. &c. Primarii illi autem in hoc negocio promovendo non ſegniter laborarunt, ſuaque infœlici diligentia effecerunt, ut per nobiles & locupletes aliquot familias nuper ſectæ infauſtæ implicatas, iſti non tantum abundè ſuccurreretur inopiæ, ſed ut tam ipſæ quam earum facultates univerſæ iſtius impoſtoris ſubjicerentur arbitrio, ipſeque ab illis earum legitimus hæres & juſtus poſſeſſor agnoſceretur & declararetur. Relinquebat quidem illis eorum bonorum gubernationē, cum ipſe tamen eis frueretur, & in quos volebat uſus conferret. Quibus autem ſacrarum literarum teſtimoniis & argumentis hoc infœlicibus ſuis diſcipulis perſuaſerit, prolixè in deſcriptione & declaratione articuli ſuæ hæreſeos XIX. explicavimus. Hæ divitiæ æque atque ſpinæ non parum læſerunt & ſtrangularunt aſſiduitatem orandi, diſciplinæque ſeveritatem hactenus uſitatam, quarum tamen rerum ſpecie antea alios non peſſimos, quemadmodum & nunc hos nobiles, & locupletes mercatores, cives, & ruſticos flexos, in ſuam pertraxerat partem, ſectæque communionem. Et quantum vitæ ſeveritati diligentiæqne regendorum morum deceſſit, tantum licentiæ, & petulantiæ arrogantiæque

gantiæque acceſſit, plures uxores ſibi adjungendo, & alias mixtiones exercendo, magna cum offenſione ſimplicium ſectatorum, & blaſphemiis adverſariorum. Muſſabat inter ſuos ſibi ſuæque ſectæ univerſæ de rebus humanis neceſſariis omnibus per tantum divitiarum acceſſum jam ſatis ſuperque proſpectum eſſe. Hæc inciderunt in annum Domini 1540. Hoc ſucceſſu exultans & lætus cœpit cogitare de magno libri Mirabilium volumine excudendo: ſi vel per hujus libri lectionem tandem perficeretur totius mundi innovatio ſperata, quæ hactenus per alias vias fefellerat ſemper. Erat David homo exiguæ quidem peritiæ, ſed philautiæ maximæ, atque hinc tantum tribuebat ſuis libris, ut ea quæ illi inter ſcribendum & loquendum in mentem venirent, non potuerit ſatis admirari, hæc ſuis commendabat mirificè, hæc exaggerabat fere in immenſum. Auditores etiam omnes erant rerum tam eccleſiaſticarum quam politicarum imperiti: & ſiqui peritiores eſſent, hos obſtupefecerat ſpecie ſanctitatis obtendenda, & implicitam fidem urgendo. Quare tam ab ipſo quam ab aliis ſingulis ejus pronunciatis plauſus dabatur, & euge acclamabatur. Ipſe ut hoc etiam obtineret improbis hortamentis agebat, adeo ut gravíſ-

gravissimas suspiciones conciperet, & impotentes querelas ederet, cum id non fieret. Hisce igitur rebus factum est, ut homo per se philautus hisce acclamationibus tandem supra modum efferretur, & ebrietate spei totius orbis innovandi attonitus sibi suisque ausus sit promittere, illo Mirabilium libro à Monarcharum, Regum, & Principum theologis & consiliariis lecto; omnes tantæ sapientiæ admiratione attonitos acclamaturos illud Esaiæ: Ecce hic est Deus noster, hic salvabit nos, iste Dominus, nos sustinuimus illum. Item illud ex lib. psalm. Hic est locus quem ad hoc sibi delegit Dominus, ut præ cæteris peculiariter quiesceret in eo. Hæc est illa Sion quam sibi in domicilium elegerit perpetuum. Deinde & hoc expectabat, ut Principes mitterent, & se suaque omnia illi consecrarent, secundum illud Michææ: Dedicabunt Domino opes illorum & substantiam eorum Dominatori universæ terræ. Huc etiam torquebat quæ leguntur Es. 45. 14. Labor Ægypti. &c. Tantum in te est Deus &c. Item c. 49. 23. Cum autem in lib. illo admirabilium absolvendo totus esset, cœpit quidam per inferam Germaniam rumor spargi, sex Collocutores Ratisbonæ ad colloquium à Cæs. Carolo 5, deputatos quandam in religione concor-

 diæ

diæ formulam conſcripſiſſe, in quam unanimiter conſenſiſſent præcipui Imperii ordines omnes. Cum ipſe docuiſſet, & jam multis infœliciter perſuaſiſſet, nullam inter pugnantes de religione partes concordiam ſolidam poſſe conſtitui, niſi intervenerit ſui ſpiritus ſapientia, conſilium, ductus, & moderatio. ſecundum illud Eſ. 8. 10. Ne huic tantæ expectationi deeſſet, negligenterque cauſam tranſmitteret, conſtituit aliquot ex primariis mittere ad Collocutores. Adornavit etiam ſcriptum per legatum ſuum collocutoribus offerendum, plenum gloriationibus de amplitudine & magnificentia earum rerum quæ ei eſſent revelatæ, & nunc etiam ſuo miniſterio peractæ. Exordii loco ponit duos pſalmos, nimirum pſal. 46. & 47. verſio erat paraphraſtica Io. Campenſe auctore. Horum autem pſalmorũ narrationi miſcebat quædam verba quibus obliquè innuebat, harum tantarum promiſſionum eventum & complementum hic jam penes ſe ſuumque cœtum extare & ſe prodere. Poſtea admonet ut in cauſis fidei controverſis ex ſcriptura ſacra ſola nihil abſolutè definiant abſente Filio, de quo Chriſtus dicit, quod ipſe ſolus Patrem noſcat, & Is cui Filius Patrem revelaverit. De Eo autem cui Filius Patrem ſuum revelarit illis diligenter in-

quirendum, & de eo percunctandum atque investigandum esse, ubinam scilicet locorum hæreat, & ex qua orbis parte proditurus sit atque se mundo ostensurus. sibi certo constare, eum perpaucos fideles reperturum, propterea quod is proditurus atque seipsum exhibeturus sit specie parum magnifica & plausibili. Iuxta illud Es. 53. 2. Non est ei species &c. cum Dei & angelorum judicio sit inter homines speciosissimus, cum vehatur hisce rebus veluti quadrigâ, veritate, fide, mansuetudine, & justitiâ, & qui suę virtutis dextra mirificè dirigatur. Hæc & multa alia oracula & dicta solum ad personam Iesu Christi & ejus officium pertinentia ipse oblique ad suum enthusiasmum trnsferre conatus est: obscure innuens eum filium jam ex Aquilonaribus partibus observandum, nominatim ex infera Germania, cujus typus fuerit Ægyptus, cum utraque regio natura cæteris humilior existens, modestos & minus feroces gignat homines. Et licet ejusmodi deliria nemo nisi patientis stomachi absque tædio pervolvere possit, tamen ad certiorem historiæ fidẽ adstruendam, præcipua istius scripti loca adnumerabo. Primũ post duos psalmos explicatos ita loquitur: Cum autem tanta promissa nondum exhibita fuerint hactenus cũ deinde constet ea

esse complenda in hoc præsentis seculi termino, & ipsi deputati ejus rei complementũ penes se non comperiant, consultũ sanè ipsis esse, si in causis fidei controversis nihil definite cõcludant ex scripturę litera, propterea quod illa ipsorum ministerio ne intelligi quidem, nedum ejus mysteria explicari possint, nisi à solo Agno illo qui vicerit, Leone de tribu Iuda, qui solus dignus sit ut aperiat librum & solvat sigilla ejus. Deinde & Filium neminem novisse nisi solum Patrem, neque ita quenquam Patrem novisse nisi Filium, & cui Filius voluerit revelare. Quicunque igitur ante hunc Filium (Christum vid. David) venerint, fures esse & latrones. Iam cui hic Filius sua mysteria revelaturus esset, cui thesauros absconditos, & arcana secretorum ultimis temporibus reservata daturus esset, legendum apud Es. c. 44. & 45. Alludit ad Cyrum Persarum regem, qui apud Es. c. 45. 3. dicitur accepturus thesauros absconditos. Hæc deputatis observanda, ne temere definiendo peccent sua lingua, & verbis suis condemnentur. Iam quod ex carne natum sit esse carnẽ, quod ex spiritu spiritum. Qui ex superis veniat, eum supra omnes esse, & testari quæ non ex aliorum relatu aut ex lectione didicerit, sed quæ viderit & audierit. Et tamen ejus testimo-

nio fidem non haberi. Hunc etiam, quia à Deo missus sit, quia cœlitus veniat, cœlitus renatus sit ducaturque, promere & loqui verbum Dei: quippe cui Spiritus datus sit non ad mensuram, cum Pater hunc Filium amet, & omnia in ejus potestate tradiderit. Io. 3. Hunc etiam esse legitimum hæredem omnium, quare & omnia subjici opporteat ejus pedibus, omnesque ei supplices fieri. ps. 2. 8. & 72. Phil. 2. & 20. 14. Huic Filio qui crediderit eum vitam habere æternam certum esse. Eum vero qui non crediderit vitam non visurum, sed iram Dei super eum manere. Interprete autem hic deputatis opus esse, ut hæc ab illis intelligantur: Imo sine ipsissimo Filio hæc explicari non posse. Probent, annùm hæc vera sint. Quod si quæsierint unde hic Filius sit evocandus quo nobis adsit, ubi quærendus & investigandus ut vestimentorum ejus oram apprehendamus, item unde venturus sit, ubi observandus, nam scriptum esse Io. 7. 27. Christus cum venerit nemo sciet unde sit. Item: Cum venerit Filius hominis in terra num fidem reperturus est? A terrenis quidem agnosci non posse, sed à talibus eum multa pati oportere priusquam in gloriam suam migret: quod in Christo secundum carnem patuerit. Sed ut magis disertè ad

hanc quæstionem respondeat, affirmare se, hunc Filium investigandum & offendendum esse in Ægypto & inde vocandum, quemadmodum & Ioseph in umbra, & Iesus Christus in corpore inde fuerint evocati. Hoc etiam testari scripturarum testimonia. Num. 24. 8. Hos. 11. 1. Matth. 2. 15. Ier. 23. Fœlices esse qui huic Filio benè precentur, ejus maledicos devoveant. Ægyptum autem hanc denotare Inferam Germaniam. Iam & veritatem hæc testari & convincere, quod Christus super neminem requiescat, neminem inhabitet, quam humiles, summissos & mansuetos. Hujus rei veritati ut imago respondeat necesse esse: nimirum ut persona illa in qua se Christus prius sit demissurus, & ex qua orbi proditurus, oriretur aut resideret primo in regione aut loco infero & humili, unde postea esset evocandus ad sublimiora loca. Iam certè constare omnibus neminem à Deo evehi qui non fuerit antea humilis, neminem etiam ab eodem glorificari qui non ante fuerit inglorius, neminem etiam donari resurrectione qui non antea fuerit morttuus & sepultus. resurrectionem enim esse vitæ instaurationem. Resurrectionem etiam futuram eo loco ubi facta sit sepultura, tam in spiritu quam in carne. juxta illud: ubi cadaver ibi aquilæ. Quemadmodum

lum igitur Christus primum spiritualiter
nortuus est & resurrexit in homine summa
humilitate prædito, ita necesse est ut &
egio illa unde hæc persona oriunda est
æteris regionibus sit humilior & contem-
ior, qualis sit Hollandia, quæ à vicinis
egionibus ferè rideatur & contemnatur.
Hæc licet hactenus fuere incomperta &
gnota, tamen tam certa & vera esse quam
illa quæ à condito orbe fuerint oracula.
Ex illo igitur terræ tractu venturum esse
nunc filium, aut se mentitum, & igno-
miniæ obnoxium fore, in dedecus Dei sui,
quod avertat Deus. Non esse cur de hac
sua tam libera, tam constanti contestatio-
ne doleant, nimirum æternam vitam nunc
esse revelatam, regni Dei immortalem
thesaurum ab uno homine inuentum, Imo
esse cur lætentur & præ gaudio exiliant.
Hoc sane illorum, maximè vicinorum, offi-
cium esse, cum lætandi causa sit certa, quod
& brevi comperiendum & videndum sit.
Hujus spiritualis resurrectionis gloriatio-
nem ad eos solos pertinere qui veterem
hominem crucifixerint. Non enim infun-
di vinum novum in utres veteres. Hoc &
Esaiam testari c. 8. 16. quod lex obsigna-
ta sit super discipulos, qui quales sint,
Christum multis in locis, testari. Hos es-
se consulendos in rebus ambiguis & per-

plexis, hinc enim reperiri fidelitatem Davidis infallibilem. Es. 55. 3. Hunc filium & ejus natos esse requirendos, non magos, hoc est hujus seculi sapientes, & eruditos, qui tanquam mortui omni Dei vita sunt destituti: ex quorum ministerio nemini illucescere potuerit lux illa Dei matutina, de qua idem Es. c. 8. 20. testetur. Nam populum in tenebris invitum versantem visurum lucem matutinam. Tandẽ admonet deputatos ut religiosè hæc observent, omniaque discutiant diligenter, spiritum hunc non extinguant, neque inscitè quicquam definiant, neque de ulla parte religionis controversæ definitè concludant, nisi cum conditione & exceptione, nimirum ad pleniorem causæ discussionem. Nihil igitur certi statuant, donec Is qui promissus sit, adsit, Spiritus. vid. Sanctus. Per EVM enim omnia esse corrigenda, QVI ipse prius correctus fuerit, à mortuis exsurrexerit, & jam vicerit. Quæ autem corrigenda, emendanda, instauranda, & reformanda sint, Ex EO SOLO disci & observari oportere. nemini enim præter EVM hæc secundum veritatem nota esse. Quod autem talis restitutio fieri oporteat, à D. Petro act. 3. 21. prædictum esse. Hanc ejus ad deputatos omnes esse salutationem, quos & amet,

& quo-

& quorum interitum avertere, & quibus
ad pacis & salutiferæ concordiæ promotionem, majoris cognitionis lucem adferre cupiat. Se probè agnoscere quod sententiæ quas illis in hoc scripto proposuerit sint in illorum auribus paradoxa atq; adeo tonitrua nova, sed propterea nō rejiciendū tamen hunc spiritum, sed probandum, & discutienda omnia: & si post ejusmodi probationem spiritum hunc fallacem esse deprehenderint, tum eum missum faciant. Se paratum & alacrem esse, ut ad Dei sui laudem se deputatis sistat, & coram firmamenti facie compareat. Hæc autem loqui se in zelo Dei sui. boni igitur hæc consulant. In fine posuerat versus duos ex ps. 24. juxta Io. Campensis paraprhasim, nimirum vers. 7. &c. Addidit & alia testimonia ex Es. & psalmis ab apostolis accommodata pro divinitate Iesu filii Dei adstruenda, quę infœlix hic homo nefariè & blasphemè conatus est transferre ad suum spiritum & ejus enthusiasmos, obliquè insinuans eundem promissum Dei filium atque adeo ipsum Deum Trinum hic hypostaticè adesse, loqui, operari in his aquilonaribus regionibus, in Hollandia scilicet. Tabellarius & legatus hujus negocij fuit Georg. Ketel, de quo antea mentionem fecimus. Is ex Brabantia suscepto itinere pedestri, la-

borioſo, & periculoſo, unico tantum adoleſcente latinæ linguę utcunque perito comitatus venit Ratisbonam circa feſtum D. Iacobi apoſtoli. & conveniens D. Bucerum atque de ſtatu religionis inquirens, ab eo intelligit, ſperatam & jam multis locis denunciatam concordiam fuiſſe impeditam ab epiſcopis & paucis aliquot principibus, qui compoſitionis cauſam rejeciſſent ad judicium Summi Pontificis & futuri Concilij generalis. Georgius autem acceperat à Davide mandatum, ut, ſi intelligeret conſenſionem doctrinæ nondum proceſſiſſe, tum ſcriptum penes ſe ſervaret & conſilio ex tempore capto ageret oratione quæ illi ad cauſæ promotionem viderentur conductura. Georgius, pietatis non delectu ſed affectu inſignis, & ut rerum eccleſiaſticarum imperitus, ita Davidicę auctoritatis ampliandæ ſtudio ardens, ne ſine aliquo fructu tantum iter confeciſſe videretur, nunciavit Bucero, in Infera Germania ab Opt. Max. Deo excitatum eſſe hominem, qui admiranda ſapientia & virtute confirmatus magno ſucceſſu doceat pœnitentiam & correctionem vitæ ſine omni falſę doctrinę admixtione. Narrat deinde quæ & quanta Deus hujus hominis miniſterio in Infera Germania effecerit; qualem & quam abſolutè ſanctum populum

populum formaverit. Breviter producit
suum prophetam Davidem veluti heroi-
cum aliquem & cœlitus mundo miſsum vi-
rum, ornatum virtutibus omnibus, & tan-
quam Chriſti apoſtolum. Nihil hunc præ-
ter Chriſti gloriam utque ejus hoc regnum
ubiq; erigatur quęrere. Talem ſua quidem
opinione nunquam fuiſse in terris, dignum
igitur eſse qui ad Imperii comitia evocetur
ab iis quibus earum rerum poteſtas ſit com-
miſſa, ſi modo veræ religionis promoven-
dæ ſtudio flagrent &c. Bucerus pro ſua in-
ſigni humanitate & modeſtia cum ſumma
prudentia conjuncta, hanc denunciatio-
nem & conſilium Georgii non omnino
reiicere videbatur, ſed grato animo ea au-
diviſſe ajebat. Addebat, nihil ſibi auditu
eſſe jucundius & gratius, quam ut intelli-
gat, excitari à Deo homines majoribus &
efficacioribus donis ornatos quam ipſum
ſe & ſuos agnoſcere poſſit. Talium enim
opera eccleſiam hoc tempore maximè o-
pus habere adverſus tot aſtutos & poten-
tes adverſarios. Sed videndum eſſe Geor-
gio, ne ſpecie pietatis & ſanctitatis ille-
ctus in eo homine quæ non probanda ſint
probet. Non enim novum eſse ſed omni-
bus ætatibus commune ut Sathanas & ejus
miniſtri ſe transfigurent in angelos lucis,
& ſub ſpecie religionis promovendæ ſa-
nam

nam doctrinam corrumpant, & è contra insanas opiniones & conatus excitent in hominibus. Se sane adeo non offendi narratione & testimonio amplioris veritatis lucis nunc demum revelatæ, ut illam lucem toto terrarum orbe splendere vehementer cupiat, modo intelligere possit germanæ veritatis lucem esse &c. Georgius autem pericula errorum in doctrina fidei non intelligens, de erroribus erat securus, neque aliam religionis veræ vel falsæ dignoscendæ notam habebat, quam ille, qui ex eo quod cum cœcus natus à Christo luce donatus esset, inde colligebat Christum esse verum prophetam. Scimus enim, inquit, quod Deus peccatores non exaudit, sed siquis Dei cultor est, & voluntati ejus obtemperat, hunc audit. A seculo non est auditum quod quis aperuerit oculos cœci nati. Nisi esset hic homo à Deo, non posset facere quicquam. &c. Ad eundem modum Georgius à teneris in principum aulis versatus, & horum novorum prophetarum opera à crassioribus vitiis ad meliorem vitam conversus, hujus perceptæ mutationis sensu & fiducia sola fretus confidenter testatur in hujus sui prophetæ doctrina nullum esse errorem. Eum nudam & apertam, omnibus irrefragabilem veritatem proponere audientibus, idque

ue tanta evidentia, & virtute, ut om-
es homines ſaniores non ſolum convin-
at, ſed planè transformet. Hoc tamen
ddebat, hominem illum de quo teſtimo-
ium ferret uſum literatarum linguarum
z diſcipinarum non habere, videat igitur
ie propter harum rerum imperitiam Spi-
itum Sanctum efficaciter in hujus homi-
iis diſciplina ſe prodentem contemnat aut
eſpuat, ad modum Scribarum & Phariſæo-
um, quibus nihil ferè quam à ſui generis
ominibus prodeat, probetur, quique om-
ium divinitus miſſorum capitales hoſtes
è exhibuerint. Talibus & ſimilibus verbis
ltro citroque habitis, ſibi mutuo valedixe-
unt. Dedit autem Bucerus literas ad Da-
idem ſcriptas, quæ eandem ferè ſenten-
iam quam nunc commemoravimus con-
inebant, niſi quod præter alia Bucerus ad-
diderat: Cum is homo de quo Georgius
am amplum teſtimonium ferret extraor-
dinariam vocationem habere dicatur, nul-
lique ſpecialis eccleſiæ miniſterio ſit aſtri-
ctus, quemadmodum ipſe Argentinenſi
eccleſiæ, ut Argentinam proficiſcatur hor-
tatur, quo placidè inter ſe conferre poſ-
ſint de iis quæ videbuntur facere ad vigo-
ris euangelicæ doctrinæ reſtitutionem. Se
enim libenter admiſſurum & promoturum
quæcunque intelligere poſſit quoquo mo-
do

do facere ad reip. Christianæ ædificationem, quicquid alii de hoc ejus studio & officio sint judicaturi &c. Georgius in genere testatus erat, de homine quodam divinitus excitato, non addiderat nomen, propterea quod novisset illud jam & notum & abominabile esse Hofmannicis anabaptistis nuper ad ecclesiæ Argentinensis unitatem reversis. Tradidit tamen Bucero duos libellos typis excusos, quorum unus tractabat de mortificatione, alter de charitatis eminentia. Erant hi libelli inter cæteros saniores, nihil horridiorum dogmatum continentes. David vero, cum ex Georgii narratione, tum ex Buceri literis intelligens suæ sedulitatis eventum non respondere expectationi isti magnificæ, jubet Georgium & comitem illius, ut apud fidei socios de istius legationis & conatus eventu nullum sermonem faciant. Hæc facta sunt A° 1541. circa festum assumtionis Mariæ.

Altero post anno incubuit totus ut liber ille Mirabilium absolutus typis excuderetur. quo autem avidius expectaretur, ejus indicem prolixum excusum eodum anno emisit. unde & factum est, ut ingenti istum legendi librum desiderio homines flagrarent. Interim quod liber ille excuderetur, allatus est ad illum liber à Mennone Si-

monis

nonis catabaptistarum doctore conscriptus, qui post vulgaria anabaptistica dogmata explicata & defensa, etiam continebat refutationem opinionum aliarum partium, quas vocabat sectas perditionis, quasi Menno non esset ex numero sectarum perditarum. Quamvis autem in eo libro nullius nomen perstrictum esset, sed tantum dogmata Mennoni improbata impugnarentur, se tamen suamque doctrinam læsam ibi esse judicabat David: quare & statim scriptum ad Mennonem adornat, in quo illi bellum denunciat, atque in principio scripti eum sic alloquitur: Accinge gladium femori tuo. S. Menno, indue thoracem & accipe gladium, sume scutum & lanceam, nam statui tecum in palæstram descendere. Argumentum totius scripti erat tale: Mennonem docere non à Deo unctum & missum, & propterea eum esse ministrum literæ occidentis, non spiritus vivificantis. Hoc apparere in ejus libellis hinc inde sparsis, in quibus præter nudam literam & pharisaicam justitiam nihil doceatur, præterquã quod omnes à se dissentientes traducat & laceret, ut ex eorum auctoritate elevata, sibi aliquam propriam comparare conetur, pericula & ignominias fugiat declinetque. quæ studia & facta apostolum & divinitus missum minus

nus deceant, ſecundum illud Pauli: Si hominibus quærerem placere, Chriſti ſervus non eſſem. Poſtea proponit Menhoni varias&obſcuras quæſtiones diſcutiendas, de quibus explicationem à Mennone petit. nimirum: Quis eum miſerit? & quomodo miſſus ſit? quas habeat ſuæ vocationis & miniſterii notas, argumenta, & obſignationes? Item quæ & qualis ſit via quæ ducat tum ad vitam æternam, tum inferos? quæ ejuſmodi viatori occurrant? quæ ibi agantur & perferantur? quiſque fructus? quiſve exitus? &c. Ex ejus ad hos locos reſponſione facile appariturum& ſeſe proditurum Mennonis in rebus divinis inſcitiam & imperitiam. Ad hæc teſtatur David magnificè de ſui cordis ſinceritate: Et quod Deus ejuſque Spiritus cum eo ſit, eum ducat, moderetur, & doctrinam ſuppeditet efficacem, qualemcumque faciem tum ipſum tum ejus doctrinam in hoc mundo ferre videatur. quod omnes qui ſuę doctrinæ obſtrepunt, reperientur Dei ſpiritui reluctari. Poſtremo cum Menno imperitior exiſtat, quam qui ſecum congredi, nedum ſuam doctrinam refutare poſſet; admonet ut abſtineat ab impugnatione doctrinæ hujus cœleſtis, niſi Dei iram in ſe ſuamq; factionem irritare velit. &c. Menno acerrimè reſpondet, denunciatque Da-

vidi

idi ſe paratiſſimum eſſe ad pugnam, non
arnalem, ſed ſpiritualem: hactenus ſe ad-
erſus omnes ſuos antagoniſtas præliando
rectum & illabefactatum perſtitiſſe, eoſ-
que debellaſſe; cum non ſua ſed divina
perpetuo in omnibus bellis uſus ſit armatu-
â, doctrinâ vid. euangelii, quæ ut à
multis oppugnetur; nunquam tamen ex-
pugnetur. Se hoc genus armaturæ & pugnę
ſibi tam familiare feciſſe longo uſu quam
panem comedere. imo euangelii doctri-
nam ei loco eſſe induſii, thoracis, togæ,
& pallii. Davidem vero hoc genus arma-
turæ jam pridem rejeciſse & pro obſoleto
habuiſse, in ejus autem locum ſubſtituiſse
ſua nova phantaſmata, rhetoriſmos, phi-
loſophiam aliaſque præſtigias & Sathanæ
illuſſiones: & propterea eum merito ha-
bendum pro antichriſto, homine peccati,
filio perditionis, falſo propheta, animarum
latrone, illuſore, & conculcatore cœle-
ſtis doctrinæ & inſtitutionum Chriſti &c.
Se igitur admodum mirari atque adeo ſtu-
pere audaciam & faſtum hujus ſcriptionis
Davidicæ; quod poſt tot blaſphemos ar-
ticulos per ejus libellos hinc inde miſsos
& ſparſos, & per tot annos propagatos,
adeo nullum ex hiſce literis appareat pœ-
nitentiæ veſtigium, ut eoſdem furores ho-
die defendere velle videatur. Diabolicæ

ſuperbiæ & antichriſtiani furoris argumentum eſſe, quod ſua ſomnia, phantaſmata, enthuſiaſmos, rhetoriſmos, & alias magicas illuſiones præferre audeat ſapientiæ Sp. Sancti, per quam prodita ſit ſcriptura prophetica & apoſtolica. Item quod homuncio ſterquilinarius, cinis & umbra extollere audeat ſuum officium ſuper officium Ieſu Chriſti filii Dei, ſuam doctrinam præferre doctrinæ apoſtolorum. ſe interim præterire turpiſſimam licentiam quam tum ipſe tũ ſui uſurpent, dum ſe accommodant ritibus & moribus Papanorum, Lutheranorum, & Zwinglianorum, illorum ſacris communicant, neque ſocietates conviviorum, nuptiarum, funerum fugiant, ſed omnium moribus ſe conforment. Item, dum coitum qui fit cum muliere imprægnata vel ſterili, contra Pauli doctrinam damnet, & hoc prætextu Iudaicam polygamiam obliquè commendet atque etiam exerceat, & alias corporum commixtiones ſub prætextu probationum inducat. Ad hæc tum ejus tum ſuorum vitam non minus quam doctrinam eſſe corruptam & pollutam: dum in veſtibus & aliis moribus præ ſe fert mundanam quandam ſuperbiam, faſtum, & luxum &c. Cum igitur in ſe auſus ſit transferre honorem ſoli Filio Dei debitum, & Chriſti doctrinam pro

obſoleta

obsoleta habeat, suam autem pro perfecta & perpetuanda, cum deinde suum antichristianum officium & ministerium præferat officio Iesu Christi & ministerio apostolico, adhæc sub fuco & prætextu fictæ humilitatis meram Luciferanam superbiam, & sub specie perfectionis, castitatis, & aliarum virtutum promovendarum varia scelera & flagitia designet & promoveat, nimirum fornicationes, adulteria, incestus; postremo cum statum & formam vitæ Christianæ ad modum Lutheranorum & Papistarum planè transformarit in statum planè mundanum, nullum sibi dubium restare quin brevi à Deo (qui suum honorem alteri non det) præmium & exitum sit accepturus qualem habuerit Io. Bucoldus Monasteriensium rex, & alii qui ante eum honorem Dei Filio debitum sibi vindicassent. Desinat igitur ei scribere, parcat chartis & atramento, se enim ne lecturum quidem posthac quicquam ab eo proditum, donec publicè innotescat quod impiam suam doctrinam palam damnaverit atque execratus fuerit, Christi vero doctrinæ suam laudem & reverentiam debitam iterum restituerit. Tam acris Mennonis responsio non parum perturbare Davidem videbatur, attamen ne tam atrocia sibi objecta crimina agnoscere, aut

diluere non posse videretur, statim novum scriptum adornat, quod non Mennoni sed ejus sectatoribus destinavit, in quo de Mennonis intemperie & importunitate conqueritur, quod videlicet sibi amicum colloquium denegasset. & loco explicationis & discussionis aliquarum quæstionum propositarum sibi transmisisset calumnias, convicia, & fulmina anathematum, sine prævia admonitione, sine ulla ullius erroris convictione, juxta normam scil. apostolicæ doctrinæ quam suum indusium & armaturam esse jactet. Satis ex hoc, quemadmodum & ex aliis ejus scriptis & libellis patere, suam armaturam esse nudam literam perperam intellectam. Eum suam nuditatem & ineptitudinem palam prodere, dum arenâ cedit, fugam adornat, & omnem sententiarum collationem refugit, & interim ad modum callidissimæ aspidis post afflatum lethale venenum, & atrocium convitiorum partum, tantum aures obturat, ne tantæ suæ petulantiæ & scurrilitatis redargutionem audiat. Eos omnes per fucatam illam & pharisaicam corporalium virtutum speciem se tandem & frustratos & turpiter deceptos esse percepturos. Penes se vero, licet speciem ferat publicani & magni peccatoris, oleum tamen & vinum depositum pro animabus

languentibus, non penes Mennonem, cujus & doctrinæ & vitæ ratio Iudaicorum Pharisæorum & Levitarum exemplo accedat. Testatur deinde se paratum esse ut coram Mennone compareat, & irrefragabiliter demonstret, eum illarum quas doceat rerum nullam habere solidam cognitionem, & propterea eum in sua arrogantia & temeritate, nisi resipiscat, periturum. Hoc ita se habere nisi firmis rationibus convicerit, se libenter summam suæ gloriationis ignominiam passurum. Hanc suam admonitionem & protestationem si repudient atque contemnant, vestigia doctoris scilicet secuti, se posthac purum & innocentem fore à culpa perniciei in quam necessario incursuri sint ita agendo. &c. Hæc utrinque scripta & rescripta sunt A° 1543. Literæ autem hæ Davidis Mennonitarum doctoribus quibusdam datæ sunt in Frisia Orientali Mense Majo. Ipsi vero vestigia doctoris secuti nulla responsione dignabantur Davidem. Interim Davidiani ex iis qui quotidie à societate Mennonitarum ad se transirent suum numerum augebant, sive id factum sit, quod ea quam præ se ferebant prudentiæ & modestiæ species illis imponeret, sive quod dum Davidiani plerunque sua dogmata celantes, non urgerent ut se quis ab aliis pub-

licis ecclesiis sejungeret, & hac ratione de persecutionis periculo securi essent: Mennonitæ certè tales traducebant, tanquam ij ob nimiam carnis licentiam eis à Davidianis concessam, in veram religionem, Mennonitarum scil. perfidi essent facti. Quomodo autem quidam tum in Frisia, tum in Hollandia, qui deserta Mennonitica societate in Davidicam factionem migrassent, institerint apud Davidem, ut sibi concederetur Mennonem & ejus symmystas denuo ad publicum colloquium invitare, quod putarent se illud à Mennone exigendi probabiliorem habere causam, proptera quod ipse eos ob sententię mutationem penes eos factam tanquam apostatas apud suos traduceret. Et quomodo ea re à Davide impetrata A° 1546. in urbe Lubecensi utriusque partis cordatiores per literas utrimque scriptas & rescriptas congregati demũ in prædio extra urbem convenerint: deinde quomodo & de quibus articulis disceptatum, & quibus conditionibus tandem colloquium finitum & istinc discessum sit, hoc loco narrare longius foret, neque mei instituti etiam, cum non quid Davidiani, sed quid ipse in religionis causa moverit & fecerit in hoc præsenti opere narrare instituimus. Deinde extat de tota illa actione integra descri-

ptio ſatis prolixa, ad quam lectorem iſta-
um rerum ſciendi cupidum remittimus.

Pauca tamen de Mennonis ortu, patria,
eligionis ante & poſt anabaptiſimum pro-
eſſione, deque anabaptiſmi propagandi
tudio & ſucceſſu hoc loco dicere, propter
hiſtoriæ tenorem continuandum non ab-
ſurdum videtur. Natus eſt in ea Friſiæ par-
te quæ reliquarum orientalium partium re-
ſpectu dicitur occidua, cujuſque metro-
polis eſt Lewardia. Et cum in literis huma-
nioribus aliquem feciſſet profectum, tan-
dem à ſuffraganeo epiſcopatus Vltrajectē-
ſis in ordinem ſacerdotij Romani allectus
paſtoris officio ad tempus functus eſt circa
oppidum Bolſwert, in vico cujus nomen
eſt Witmarſum. Cum autem circa annum
Domini 1536. Vbbo & Theodoricus Phi-
lippi fratres ſacerdotis Lewardiani filii, de-
ceſſione ab Hofmannicis, à quibus tamen
in principio anni 1534. epiſcopi eſſent cre-
ati, tum à Monaſterienſium reliquiis, quo-
rum inſtitutum ſemper improbaſſent, fa-
cta, novum cœtum vel factionem conſti-
tuere aggrederentur, Menno ab iiſdem
perſuaſus ſacerdotio papiſtico reſignato,
paſſus eſt ſe hujus novæ factionis epiſco-
pum creari. Quam functionem & alacriter
ſuſcepit, & fortiter obijt, atque in ea
conſtanter perſeveravit, magno ſanè la-

bore & gravi discrimine rerum, neque id sine ingenti profectu. Nam sua infœlici diligentia & sociorum opera anabaptisticis dogmatibus implevit primum triplicem Frisiam, nimirum Lewardensem, Groningensem & Emdanam, postea & Westphaliam, Gelriam, Hollandiam, Brabantiam; & totum Baltici maris tractum à Caleto ad Pilapios usque quos hodie Livones vocant. Gravissimè autem in eos sæviit aula Brabantica, quæ hodie latè regnat, adeo ut inter triginta annos ingens numerus sit extinctus laqueo, aqua, ferro & igne. Neque per ejusmodi crudelitatem effectum est ut illis deessent sectatores, quin potius eorum numerus inde auctior redditus creditur à quibusdam. Præter dogma anabaptismi, & Valentinianismi de incarnatione Domini, non ita multum cum ecclesiis nostris in fidei doctrina habent controversiæ. Plus dissensionis est in moribus, cum ad exemplum Donatistarum nullam ecclesiam agnoscant in qua non vigeat disciplinæ severitas. Hinc fugiunt & execrantur omnes nostrarum ecclesiarum tam conciones in templis quam conventiones in urbium, oppidorum & pagorum curiis: item epulas eas quæ istis in regionibus habentur in nuptiis, vel puero recens baptizato, vel finitis puerperiis, quemadmodum &

in

in funeribus. Harum rerum uſum tanquam ethnicum & mundanum omnibuſq; Chriſtianis fugiendum docent. Hæc pauca de Mennoniticæ ſectæ origine & progreſſu hoc loco commemorare libuit. cum alibi accuratius & latius de iſtius ſectæ origine & ſtatu ſcripſerim. Quantum vero attinet ad ejus curſum & præſentem ſtatum, ea plenius deſcribere pertinet ad aliquem qui omnes tam ejus quam Theodorici Philippi aliorumque ſymmyſtiarum lucubrationes non tantum legerit, ſed & privata conſuetudine per multos annos eorum inſtituta, mores & acta propius inſpecta, ſine partium ſtudio deſcribere & poſſit & velit. Sed redeamus ad Davidica negocia narranda.

Aº 1543. nobiliſſimus & ſimul eruditiſſimus piiſſimusque vir. D. Io. à Laſco Poloniæ Baro, Lovanii uxore humilis fortunæ ducta, & abdicatis beneficiis & præbendis ut vocant eccleſiaſticis, ſeceſſerat in comitatum Friſiæ Orientalis, ubi paulo poſt tum à Principe & nobilitate tum à concionatoribus concorditer electus fuit in Superintendenten iſtius Comitatus. Qui poſtquam ad hoc munus eſſet delectus, operam dedit ut ditionem illam, quantum in ſe eſſet, à ſuſpicione & criminibus quibus gravata erat liberaret (vulgo enim audiebat quod in ea perfugiũ haberet omne

genus damnatarum ſectarum) deinde ut ex officio ſibi delegato operam impenderet ſuæ fidei ſociis debitam, nimirum ut tam fidei ſocios in officio contineret, quam ut ab ea aberrantes eidem ſocietati adjungeret. Atque hinc factum eſt ut communicato cum collegis conſilio & impetrata à Principe poteſtate, Mennonem evocatum ad collationem ſententiarum controverſarum invitaret. Et quamvis colloquii eventus non reſponderet expectationi, diligentiæ, & induſtriæ D. à Laſco, propterea fortaſſis quod Menno magis fucata morum ſpecie, quam argumentis pugnando quoſdam cives labefactaſſet, tamen ſibi idem experiundum eſſe ducebat cum iis qui de Davidianiſmo ſuſpecti erant. Aliquibus igitur ex iis quos cordatiores & præcipuos inter eos judicabat ſeorſim in domum concionatoris evocatis, ſummam doctrinæ eccleſiæ ſuæ expoſuit: & per aliquot dies inter ſe collocuti, & multis ſermonibus ultro citroque habitis, tandem in aliquam formulam à D. Io. à Laſco conſcriptam conſenſerunt Davidiani: addita hac exceptione, quod ipſi his capitibus ſubſcribendo Davidi nihil præjudicare, ſed pro ſe ſolis hæc vera agnoſcere & defendere vellent. Manſit etiam in controverſia diſcrimen vocationis, Nam ipſi ſuo

Davidi

Davidi vendicare conabantur novum & peculiare vocationis genus, nimirum apostolicum, & in quo errari non posset: concionatoribus eam rejicientibus in classem vulgarium concionatorum, si modo responderet consensui doctrinæ suarum ecclesiarum. Sed ad ejus rei certiorem faciendam fidem, præstat intertexere epistolam à D. Io. à Lasco ad Davidem scriptam, in qua hæc omnia verè & compendiosè continentur.

Dilectissimo Fratri DAVIDI GEORGII, *Verbi divini ministro &c. ad manus.*

GRatia tibi & pax per Christum Iesum unum cum Patre & Sp. S. Deum, unum & nobiscum in carne fratrem, verum Deum & hominem Mediatorem, qui in caput anguli positus vetera cum novis connectit, facitq; in seipso utraque unum, ut regnum suum possideat ab æterno sibi à Patre suo donatum. Illi laus & gloria in secula, amen. Postquam in ejus ministerio positi sumus, Frater charissime, qui cum Dominus esset omnium, se tamen nobis totum impendit, ut nos in gloriam regni sui adduceret, idemque testatur, se in hoc venisse ad nos, ut non solum eas ovi-

culas, quæ in ovili ſuo jam collectæ fuiſſent, paſceret, ſed ut alienas quoque illis adjungeret, putavimus & nos noſtri officii eſſe, ut ſub ea non doctrinæ modo qua nunc totum orbem ſcindi videmus, ſed ovilium quoque varietate, quæ à nonnullis jam peculiaria eriguntur, omnibus nos etiam, quantum in nobis eſſet pro noſtra tenuitate impenderemus, etiam iis qui à noſtra doctrina quoquo modo diſſentirent. Proindè ſimulatque ad eccleſiæ hujus miniſterium Deo ita volente vocati eſſemus, id imprimis, communicato cum collegis noſtris conſilio, operam dedimus, ut à quibus noſtra non omnino probari intelligebamus eos ad amicum colloquium fraternè invitaremus: non quod nobis clavem ſcientiæ arrogaremus, qui noſtram exilitatem libenter agnoſcimus, ſed quod noſtra intereſſe intelligeremus ut doctrinæ conſenſus per omnes eccleſias nobis concreditas, quoad ejus fieri poſſet retineretur: doctrinæ inquam, non noſtræ (abſit enim ut noſtrum aliquid ſcientes ac volentes doceamus) ſed doctrinæ ſanæ, quæ ſive per nos ſive alios quoſvis verbi divini teſtimoniis confirmari poſſit. Sed etſi contemni ab aliis, ab aliis calumniis degravari noſtrum hoc conſilium videamus, non ideo tamen prætermittere voluimus id

quod

[q]uod ad nostrum officium intelligimus
[o]mnino pertinere, sed omnium colloquia
[fr]aterna & libera nihilominus expetivimus,
quo modo doctrinæ consensum in nostris
[e]cclesiis introducere potuissemus: parati
[a]ut approbare nostra verbi divini testimo-
[n]iis, aut ab aliis inde discere siquid forte
[n]ondum didicissemus. Ita factum est, ut
[c]um tuis conveniremus, de quibus, atque
[a]deo de tua doctrina etiam, mira hic spar-
[g]ebantur, idque non apud plebem solum,
[s]ed etiam apud Magistratum. Erant autem
qui nobis non prorsus benè ominarentur si
cum tuis colloqueremur, Dicebant enim
[t]e studio nondum prodere tum omnia, ju-
[b]ereque ut omnes tui idem faciant, donec
lux nescio quæ clarior exoriatur. Sed nos
hæc nihil morati, experiundum id no-
bis esse judicavimus, priusquam de quo-
quam in alterutram partem pronunciare-
mus. Convenimus igitur cum tuis, & sum-
mam doctrinæ nostræ illis claris & per-
spicuis verbis exposuimus, non aliud pre-
mentes in animo, quam quod verbis aper-
tissimis testabamur. Petebamus etiam ut
pari candore tui nobìscum agerent, & po-
sitis omnibus simulationibus, nostra aut
approbarent aut impugnarent. Iudicem
omnium constituebamus doctrinam euan-
gelii Christi, quæ omnes alioquin homi-
nes

nes ad extremum judicatura esset. Acceperunt tui conditionem, & habitis ultro citroque sermonibus, doctrinæ nostræ demum unanimiter (Deo sit gratia) subscripserunt, præterquam quod in vocationum discrimine nondum potuit inter nos convenire, propterea quod tui peculiarem tibi quandam super alios vocationem decernunt, & tu ipse agnoscere illam videris etiam: nos autem unicum duntaxat vocationis genus post Christi apostolos in Ecclesia statuamus: etjamsi in una atq; eadem vocatione non negamus alios aliis virtute & spiritu antecellere. Sic Iohannes plus quam propheta vocatur, cum tamen propheticam duntaxat vocationem haberet. Sic & Paulus, etsi cæteris apostolis plus fructus attulerit in euangelii prædicatione, nihil tamen sibi supra apostolos arrogat (quod quidem ad vocationem attinet) imo vero se illorum minimum appellat, & ponit discrimen inter eos qui doctrinæ fundamentum jecerunt, & qui posito fundamento superstruunt, ut qui post jactum semel fundamentum in ministerio constituuntur intelligant se fines positi fundamenti excedere jam amplius non posse, multo minus aliquid peregrinum illi velle inducere, aut illud ad alium quendam modum formare. Breviter id petimus, ut pecu-

iarem hanc tuam vocationem quam tibi
ſurpas aut approbes nobis verbi divini te-
timoniis, aut miſſam omnino facias, ne
ecclesiæ ſcindantur. Non invidemus tibi
dona, ſiquæ in te præter alios contulit De-
us: quin potius illa ſuſpiciemus etiam, ſed
conſultum cupimus unitati Eccleſiæ Chri-
ti plus ſatis alioqui hactenus perturbatæ
ab iis qui ſibi alias etiam peculiare voca-
tionis genus arrogabant. Huic ſane debe-
mus omnem Papæ & Mahumetis tyranni-
dem, huic, quam & noſtro ſeculo vidimus,
Monaſterienſium inſaniam, ut de Mon-
tano taceam, qui in ſe Sp. S. deſcendiſſe
iactabat. Quare te mi frater, per Ieſum
Chriſtum rogamus, ut tecum probè expen-
das quid agas. Extrema ſunt tempora, qui-
bus leo ille rugiens, ſi unquam alias ſoli-
citè quærit quem devoret, vertit ſe in lu-
cis angelum, ut omnibus imponat, & ha-
bet additam illuſionis efficaciam, etiam in
edendis miraculis, ut ad mendaciorum
fidem pertrahat omnes qui nolunt credere
patefactæ nobis jam per Chriſtum Domi-
num & ejus apoſtolos veritati. Non dubi-
tamus autem quin boni conſulturus ſis
hanc noſtram admonitionem, quam cer-
to ſtatuere debes proficiſci ex Chriſtiano
tuique amantiſſimo pectore. Et ſi Spiritu
Dei ageris, is haud dubie id ita ſe habere
tibi

tibi declarabit. Approbationem igitur vocationis tuæ expectamus ex verbo Dei, quam vellemus, ut verbis dilucidis minimeque allegoricis ſimplici oratione conteſteris. Vale. Deus te ſervet; & dirigat noſtra omnia ad gloriam nominis ſancti ſui & eccleſiæ ædificationem. 4. Feb. Ao 1544.

Iohannes à Laſco Ieſu Chriſti in ſuo euangelio miniſter apud Orientales Friſios.

HAnc epiſtolam de verbo ad verbum fideliter deſcriptam hic inſerere placuit, ut inde lectores agnoſcant in eruditiſſimo illo ſimul ac nobiliſſimo viro ingenium placidum, & ſtudium eccleſiaſticæ unitatis promovendæ ardens, conjunctum cum ſumma prudentia & manſuetudine. Hanc epiſtolam ubi legiſſet David, reſponſum adornat, in quo oſtendit ſe delectatum plurimum fuiſſe iis quę tum ex ſuorum relatu, tum ex ejus literis intellexerit: atque inde aliquam concepiſſe ſpem, quod Deus per occaſionem futuræ collationis amicæ, dies ſui exilii & afflictionis fortaſſis abbreviaturus ſit. Interim tamen ſolito more admodum inſolenter gloriatur de ſui Spiritus præſtantia, de admirabili veritatis luce ſibi revelata. Sed ad propoſitam

quæ-

quæſtionem, ſe hac vice nihil reſpondere poſſe, affirmat. Rem enim eſſe altiorem & precioſiorem, quàm ut ita ſit facile quibuſvis, non antea ad ejus intelligentiam præparatis, proponenda. Providè enim & prudenter ſibi tractandos eſſe tales, nimirum primò eos ſibi ad famem & ſitim perducendos eſſe, &, quæ plena eis putentur promtuaria, evacuanda. &c. Exemplar hujus ſcripti nunc ad manum non eſt, alioquin ejus ſummam copioſè hic adpoſuiſſem. Antequam literæ D. à Laſco pervenirent ad manus Davidis, ipſe David, ex ſuorum de colloquio habito relatu impulſus, ſponte prior ſcripſerat ad D. Laſcum. Cujus ſcripti ſumma, ut illud ab eodem D. à Laſco in compendium eſt redactum, hic apponam.

Dilectiſſimo in Domino noſtro Ieſu Chriſto fratri Davidi &c. ad manus.

ACcepi nuper literas tuas, mi frater, quibus tibi gratum eſſe ſcribis, quod cũ tuis amicè de religione collocuti ſumus, ac fateris etiam, te, hoc noſtro provocatum officio, oportuiſſe viciſſim declarare tuum erga nos animum: nempe eum, ut nos non minus quàm te ipſum ſis amaturus, ſiquidem in nobis idem veritatis ſtudium a-

gnoſcas, quod in te eſſe teſtaris. Et quidem ejus veritatis, non quæ hiſtorica duntaxat notitia conſtat (ſic enim tuæ literæ veritatem interpretari putamus) ſed quæ, à Spiritu S. animis noſtris impreſſa, ſpecimen ipſa ſui non obſcurum in nobis edit: efficiente nimirum id eodem ipſo Spiritu S., ut fructus illa veritate cognita dignos, pro ſui quiſque doni menſura faciamus. Addis præterea, ne te ideo contemnamus, quod linguis, uſuque illarum non provide inſtructus videri poſſis, ſed ut te pro fratre potius habeamus, poſteaquam eodem veritatis cognoſcendæ tuendæque ſtudio tenearis, præſertim cum vera charitas non ſit æſtimanda à nobis è verborum ornatu atque eloquentiâ, non externo ullo rerum carnalium cultu, neque item linguarum aut diſciplinarum apparatu, ſed ex interno animi motu potius per Sp. S. excitato. Poſtremo optas, ut liberè mecum, non ſecus quam cum tuis de religione poſſis agere, ita ut demum appareat, uter noſtrum pleniorem habeat veritatis cognitionem, quæ, ut dictum eſt, Spiritu, non litera conſtet. Cupis item, ut, quod de Deo Patre & Filio ſentiamus, quid hic in te vel probemus vel improbemus, certiorem te reddamus, aut ſi quid præterea in ſcriptis tuis requiramus, id ut etiam tibi ſignificemus,

mus, quo facilius mentem tuam de omnibus aperire demum possis. Offers etiam librum Admirabilium operum Dei, simulatque fuerit absolutus, ut summam totius doctrinæ tuæ nobiscum probè expendamus, &, si nos in veritatis cognitione superari abs te intelligeremus, pateremur etiam nos abs te deduci ad majorem illius cognitionem, quod etiam te facturum polliceris vicissim, hoc est, ut nobis modis omnibus obsequaris, si te à nobis videas superari: etiamsi constanter affirmes, apud te haud dubiè esse ipsam veritatem, quam jam demum in lucem proferri oporteat, de qua interim nobis potius gratulandum esse censes, quam ut illâ quoquo modo offendamur. Hæc est summa tuarum ad me literarum. Hactenus D. à Lasco. Altera autem literarum pars, qua hisce Davidis literis respondet, propter insignem eruditionem, & raram, quæ inde elucescit, pietatem, digna erat, quæ hic tota recitaretur, sed, quia hoc nimium mihi sub manibus crevit opus, brevitati studendum est, atque hinc succinctè ejus summam & præcipua capita narrabo: Quemadmodum cum tuis libenter, ô David, collocuti sumus de religione, ac nunc cupimus etiam in nostra illos societate ecclesiastica, quantum in nobis quidem est, retinere,

ſi modò conſenſũ doctrlnæ noſtrę candidè ac ſimpliciter, ſine ſimulatione ulla ſequantur, aut nobis è verbo Dei oſtendant, ſicubi nos errare arbitrentur: ita & animum tuum quoq; multò lubentiſſimè amplectimur, quo nobis amorem tuum denuncias, quatenus in nobis agnoſcas ſtudium veritatis: imo verò non alio ullo quã Chriſti ſolius nomine, vel abs te, vel ab alio ullo homine amari poſtulamus: atque adeo non volumus, ut nos in nobis amet quiſquam, ſed Chriſtum potius, hoc eſt, virtutem & dona illius, ſi quæ in nobis eluceſcunt. &c. Proinde hanc conditionem libenter accipimus, ut rejecto externæ faciei aſpectu omni, Chriſtum ſolum in nobis mutuo intueamur. &c. Sic igitur & te pro fratre multò libentiſſimè agnoſcere, & à te viciſſim pro fratribus agnoſci volumus (mi David) illudque tibi certo affirmamus, nobis nihil magis cordi eſſe, quam ut in reddenda doctrinæ noſtræ ac fidei ratione omnibus prorſus ſatisfaciamus, qui noſtrum in verbo Dei miniſterium agnoſcere modò volunt, neque quicquam ardentioribus votis petere, quàm, poſitis humanis affectibus noſtris, uno corde & ore omnes veram Dei & noſtri cognitionem annunciemus & exprimamus: parati interim nos diſcere meliora ſemper

ab omnibus, qui nos docere possunt, sed non aliunde, quàm è propheticis & apostolicis literis, mutuo sibi testimonium semper & ubique perhibentibus. Propterea quod eas Paulus ecclesiæ fundamentum, Christo ipso summo angulari lapide compactum appellat, & anathema esse vult, quicquid præter positū jam fundamentum hoc, etiā ab angelo de cœlo, quocunq; modo doceretur. &c. Ex his autē, quæ vel ex tuis audivimus, vel ex scriptis tuis etiā deprehendisse nobis videmur, illud probare non possumus, quod tibi novū quoddā ac prorsus peculiare vocationis genus arrogare videris, in quo videlicet neq; falli possis, neq; fallere. Causas jam audivisti in prima nostra epistola. &c. Id videtur quoq; paulò arrogantius, quod in tua hac ad me epistola scripsisti, te certò affirmare, quod tecum sit veritas, & tu cum veritate vicissim, siquidem hæc verba nudè ac simpliciter accipiamus: Fatemur sanè, veritatem nobiscum esse, quatenus in nobis per Spiritum suum vivit ac spirat Christus. Sed hoc non est propriè, nisi partem unam esse cum veritate: nempe quatenus juxta legem mentis nostræ sectamur veritatem, postquam Sp. S. illius cognitionem animis nostris impressit. Nā est & altera nostra pars, eaq; multò violentior, nempe quę nos co-

gat vel invitos facere malũ, quod nolumus, & proinde fallere quoq; ac falli, juxta quã nos omnes mendaces propheta appellat. Iuxta hanc igitur nostri partẽ cum veritate esse non possumus, quicunque homines sumus. Sed interim à veritate nõ excludimur tamen, propterea quod eam nostri partem Christus Dominus, in se translatam, per mortem suam expiarit. Quare si per meriti Christi communicationẽ, & te in veritate, & veritatẽ in te esse dicis, hic tibi libenter assentimur. sed si te veritati ita adnexum simpliciter affirmas, ut te errare non posse putes, id probare nulla ratione possumus, quoniam Deo id soli proprium esse scimus, & à Christi Domini doctrina (qui nullum nobis hic magistrum habere vult) deinde à Pauli mente prorsus alienum. Adhæc videris nobis in libellis quibusdam sentire, quod Adamus non per alium quenquam inductus, sed suæ ipsius naturæ illecebris captus peccaverit, nos quoque ejus posteros, dum, neglectis & contemtis Dei mandatis, obsequimur cupiditatibus nostris repræsentare ipsum Adamum, atque adeo ipsum diabolum & Luciferum, quem tamen verbis detestari videmur: propterea quod idem Lucifer se, nescio in quo solio Dei, collocarit. &c. Quare autem hanc Davidis sententiam probare vel admittere

non possit, has enumerat causas: Prima est: quod fidem historiæ in scriptura nobis abrogare, atque etiam totius scripturæ doctrinam non leviter confundere videatur. Eam docere expressis verbis, Evam à serpente, Adamum ab Eva ad peccandum adductum esse: docere alium fuisse Adamum, aliam Evam, alium serpentem. Hoc declarare, tum verba ipsa scripturę manifesta, tum peculiaris unicuique eorum pœna à Deo ipso constituta. Constitutam esse Adæ pœnam mortis, quæ in Evam quoque derivata sit propter naturæ communionem, sed esse constitutam quoque peculiarem pœnam Evæ, quæ ad Adamum nihil pertineat, nempe pariendi molestiam, & subjectionem: ut alium hic Adamum, aliam verò Evam fuisse intelligamus. Sic & serpenti suam peculiarem pœnam constitutam esse, nempe æternam maledictionem, æternamque super terram reptationem, ut se erigere nunquam possit. &c. se non negare, animos nostros nonnunquam attolli debere ad rerum sublimiorum meditationem, quæ nobis rebus corporeis adumbratur, hac tamen lege, id faciendum esse, ut semper nihilominus retineatur historiæ fides, ac scripturæ sua auctoritas constet. Ita, & si alicubi non ineptè Evam carnem nostram, serpentem item

item concupiſcentiam noſtram vocemus, in hiſtoria tamen lapſus Adæ exponenda allegoriam hanc ſe non admittere, propterea quod fidem hiſtoriæ obſcuret, & ſcripturæ repugnantiam gignat. Poſtremò & hoc probare non poſſumus, (inquit) ſi eam naturæ noſtræ conſtitutionem in hac vita noſtra expectandam putes, ut abolita membrorum noſtrorum lege, qua ſub peccati ſervitutem, vel inviti, concluſi ſumus, juxta Spiritum toti prorſus vivamus, idque per noſtram ipſorum intra nos reſurrectionem quandam, quam tu fortaſſis primam appellas. &c. Hoc autem pugnare contra teſtimonium. 1. Io. 1. ubi dicit, eos Deum mendacem facere, qui ſe ſine peccato eſſe affirment. Hanc doctrinam pertinere ad omnium temporum ætates, quemadmodũ verbum Domini, dum vivimus, mutari nunquam poſſit, ut fruſtrà hic deſcrimina ætatum imaginemur. Deinde obſcurare quoq; gloriam pontificii Chriſti, quod tamen æternum in hoc mundo fore tota ſcriptura teſtatur. Si enim eò uſque eluctari, in vitâ noſtrâ, quocumque tandem tempore, poſſemus, ut nullas veteris Adæ reliquias in nobis hic ſentiremus, non eſſet jam profectò cur ulla amplius tum demum interpellatione apud Patrem Deum egeremus. Iam non ideo Chriſtum Domi-

num nostrum in se transtulisse infirmitatem, ut nos illa in hac vita exueret, sed ut noxa ejus per sanguinem ejus expiata, pontificem se illius ad finem usque mundi constitueret, omnisque salutis nostræ gloria ad solam pontificii sui virtutem, hoc est, mortis suæ meritum, pertineret, quæ equidem non derivetur in eos, qui aliquam sibi perfectionem hic polliceantur, neque etiam perpetuam infirmitatẽ istos agnoscere, ut medici operâ perpetuò se egere intelligant, quâ, dũ non egeant, ne Christo etiã egere, sed inter justos se constituere, quos a meriti pontificiiq; sui communione Christus ipse excludat. &c. Hactenus D. à Lasco.

Iam videamus, quid ad hæc objecta responderit David, & imprimis, quomodo illam suam, tantopere jactatam, & à se deprædicatam, vocationis peculiaris auctoritatem confirmare, aut saltem probabilem reddere, conatus sit. Ponit duplex genus probationis: primum consistit in quadam revelatione, quæ illi in enthusiasmo aut ecstasi aliqua acciderit, Spiritum nimirum aliquem locutum esse in eo ad hunc modum: Tu es servus meus, adeoque dilectus filius, qui omnem voluntatem meam perficies. &c. Alterum probationis argumentum est, quod post varios, qui illi in die atque etiam noctu in somniis accide-

runt, enthusiasmos & revelationes, senserit & expertus sit quandam vim divinę naturæ, eum ad omnem divinæ voluntatis obedientiam impellentem, atque in eo omne genus donorum spiritualiū sensibiliter augentem: sapientiam nimirum, prudentiam, discretionem in rebus obscuris & perplexis, non aliter atque agricolæ & medici periti, qui non solum norunt modum colendi agros, & curandi ægrotos, sed sciunt etiam, quo tempore cultura & cura sit adhibenda. Ad hunc igitur modum cum sibi obtigerit primum Spiritus Sancti revelatio, impulsio, moderatio, idque significatione sensibili, & præsentiæ suæ invisibili, & deinde accesserit ejus rei usus & praxis, eaque se efficaciter ad alios prodiderit, tum idcirco pristino tum lectionis atque præmeditationis studio, tum corporali exercitio (quibus rebus antea multum tribuisset) valedicto, se totum hujus sibi familiaris Spiritus illustrationi, motui, & moderationi concredidisse, nunquam, aut loquens, aut scribens, nisi prius ejusdem Spiritus motum sentiret, quo ea, quæ, aut oratione, aut scriptis proferret, apud auditorem salutaria esse possent. Periculosum enim esse, ad montem Domini propinquare, & non missum currere, hoc est, non præeunte tali Spiritus illustratione &

e & gubernatione, oratione aut ſcriptis,
l populum agere. Ad tales enim ſolos
ertinere, quę Paulus ex propheta Nahum
xerit. Rom. 10. 15. in hunc modum: O
uam ſpecioſi pedes de montibus deſcen-
entum atque euangelizantium, euange-
zantium bona. Atque hanc etiam eſſe
auſam, cur hactenus cunctaverit proferre
tiones & argumenta de hac ſua peculia-
ſupra alios vocationis auctoritate, ne
ilicet intempeſtivè loquendo, hoc eſt,
ntequam Deus eorum animos moveret,
os in ſe irritaret & exaſperaret. Cum au-
m nunc tam acriter inſtent requirendo
æ vocationis & doctrinæ rationes, ſe vi-
ere, tempeſtivũ eſſe, ut reſpondeat. Bona
itur in ſpe eſſe, ut eum Deus ſibi incorru-
um (niſi ſtudio animum depravare, atque
onſilium pauperum ludibrio habere velit)
ptivum in manus tradat, ſibique adjungat
Domino. Atque hactenus de auctorita-
ſuæ vocationis ſummatim & compen-
toſè ejus ſententiam narravi, nunc reli-
uas epiſtolæ partes ad eundem modum
ercurremus. Omitto hic gloriationes, &
rogationes ſui ſpiritus, doctrinæ, & po-
uli, quibus reſponſio ad faſtidium eſt
farta; venio ad ea, quæ propriè ſunt litis
artium. Quia D. à Laſco dixerat, ſibi ni-
il magis cordi eſſe, quam ut in reddenda
doctrinæ

doctrinæ ſuæ ac fidei ratione omnibus prorſus ſatisfaceret,qui ejus in verbo Dei miniſterium agnoſcere modo vellent.&c. Reſpondet David, ſe eorum miniſterium eatenus habere ratum, quatenus in eis, non literam,ſed Spiritum, non verba tantum,ſed charitatem, deprehenderit. Si ſe aliosque in ſuâ fide honeſtè & pacificè vivere non ſinerent aut concederent, ſed quoquo modo ab eis diſſentientes inſectari, ejicere, atque vicinis tyrannis occidendos objicere pergerent, jam de eo ipſo facto ſatis conſtare, eos non tantùm à charitate alienos, ſed & Antichriſti miniſtros, atque adeo de genere eorum eſſe, quos Chriſtus vocat fures & latrones, quicquid de ſuæ vocationis auctoritate & doctrinæ puritate jactaverint. Dixerat D.à Laſco, ſe ſuosque paratos eſſe,diſcere meliora ab omnibus,qui eos docere poſſint, ſed non aliunde, quam ex propheticis illis & apoſtolicis literis, mutuò ſibi teſtimonium ſemper & ubique perhibentibus.&c. Ad ea David reſpondit: Laſcum certò meliora diſciturum & cogniturum, ſi ſeriò id cupiat, atque diſcrimina ætatum,& earum in cognitione incrementa & profectum agnoſcat. Apoſtolorum doctrinam ſuam quidem habuiſſe gloriam, legis Moſaïcæ doctrinâ ſuperiorem, ſed ejus lucis gloriam

m non illucescere iis, qui eorum scripta si-
e Spiritu habeant & profiteantur: sed ma-
orem gloriam, illis duabus ætatibus longè
periorem, adhuc revelandam restare; id-
ue non ministerio apostolicæ doctrinæ,
ixta literam, sed ministerio Spiritus, qui
e jam mundo instar viri. h. e. sub persona
iri, non sub personis multis apostolicis,
roditurus sit: juxta illud: Sed cum vene-
t ille Spiritus veritatis, ille deducet vos
n omnem veritatem. Longè errare eos, qui
utent in apostolos hunc Spiritū venisse ab-
olutè, hancque promissionem tunc esse
ompletam. Mundum hujus Spiritus ad-
entu brevi tempore longè aliter sensu-
um. Primum ex ipsis apostolicis satis con-
tare literis, eis non *omnem* fuisse revela-
am veritatem, cum tamen promissio con-
ineat inductionem in *omnem* veritatem.
Nam ex. 15. c, Corinth. 1. satis patere, quam
& qualem Paulus de Christo habuerit co-
gnitionem, & qualem Christum, & quodnā
ejus euangeliū prędicaverit. nimirū quod
ejus mortem, resurrectionem, & ascensionē
corporalem denotaret, & explicaret: quod
tū temporis ad excitandā fidei erga Chri-
stum obedientiā necesse fuerit. Ad hæc re-
gnū Dei, juxta Christi vaticiniū, non ven-
turum esse cum observatione externa, cum
tamen Spiritus ille S. qui in apostolos fue-
rit

rit diffusus, venerit magno cum sonitu tanquam impetu venientis flatus vehementis, & totam domum replentis. act. 2 Deinde totum illorum ministerium versatũ fuisse circa corporales virtutes & potentias, nimirum circa miracula, in corporibus sanandis, & in virtutibus, per impositione manuum dispensandis: sed perfecti Spiritus perfectũ adventum longè aliter futurum nimirum latenter intus in Spiritu, corde, & mente eorum, qui per fidei obedientiam seipsos ejus Spiritus capaces & organa congrua reddiderint. Hunc autem triplicem Dei, vel Christi, vel Spiritus adventum adumbratum fuisse in tabernaculo testimonii, quod constabat tribus distinctis mansionibus, nempe atrio, sancto, & sancto sanctorum. Et quemadmodum excellentius fuerit sanctum atrio, & rursus sanctum sanctorum excelluerit sanctum, ad eundem modum apostolicam doctrinam superasse Mosaicam, sed hanc postremam jam orbi patefaciendam. doctrinam longè reliquas duas præcedentes superaturam, propterea quod cæterarum sit complementum, sicuti virilis ætas præcedentium ætatum sit veluti perfectio. Sed hæc ætatum discrimina hactenus intellecta non fuisse imo ne potuisse quidem intelligi, nisi in figura & corporali imagine, donec

donec abſoluta illa Spiritus Chriſti veritas ſe proderet. Hanc perfectionem reſervatam fuiſſe huic poſtremo noſtro ſeculo, juxta illud: Ex parte prophetamus, ex parte cognoſcimus: at cum venerit id, quod perfectum eſt, tum abolebitur id, quod ex parte eſt. Atque hinc tandem exclamans erumpit in hæc verba: O Paule, ſi ſpirituali, æterna perfectaque Chriſti cognitione impletus hic præſens eſſes, quam fortiter pro me contra adverſarios ſtares! profecto quemadmodum adoleſcens imperitus judicio ſuo cedit viro adulto & perito, ita & tu quoque mihi cederes. Fateor tamen Paulum Chriſtum cognoviſſe, ſed non in æternum. Imo nulla lingua talem Chriſtum eloqui poterat, niſi à Deo per Spiritum perfectæ & abſolutæ vitæ & veritatis renata &c. Per hujus omnipotentis Spiritus adventum tanto tempore deſideratum (ſecundum illud: Veni Sancte Spiritus &c.) totum mundum nunc immutandum & faciem terræ innovandam, omneſq; credentes cœlitus docendos & veritate implendos, per ſpirituales quoſdam doctores, ab hoc ſpiritu pridem productos & brevi extrudendos. &c. Hac ſua prædicatione Chriſtum ab apoſtolis prædicatum non auferri, neque fundamentum doctrinæ apoſtolicæ ſubverti, ſed potius abſolvi

& con-

& confirmari, quemadmodum Mosis lex per euangelium non aboleretur, sed potius perficeretur. Hanc sententiam etiam inde confirmari, quod Christus in sacris literis dicatur heri, & hodie, & in secula, vel in æternum, hoc est, unus & idem, immutabilisque, licèt se variis modis exhibuerit, primùm sub lege umbraticè, secundò sub euangelio corporaliter, nunc autem tertiò spiritualiter, hoc est, revera qualis sit, facie ad faciem. Dixerat D. à Lasco, se probare non posse, si David affirmet, se ita veritati annexum esse simpliciter, ut se errare non posse putaret, propterea quod hoc Deo proprium esse sciret. &c. Ad hæc respondit David. De tali certitudine non licere gloriari, nisi solum iis, qui ex hac nova & æterna veritate renati, Christi spiritum & Dei notitiam abundanter habeant. Cum autem sibi certò constet, se jam hæc bona consecutum esse, idcirco se hanc gloriationem non dedocere. Interim se libenter fateri, neminem ante hoc tempus illud justè potuisse gloriari, propterea quod Spiritus S. dona hactenus sanctis fuerint dispensata ad certam quandam mensuram, & veluti ex parte, non absolutè: sed *Perfectum* jam adesse, & propterea *Fundamentum* jam ponendum, postea nunquam subvertendum, secundum

illud

Illud Ef. Fundamentum pones, quod semper permanebit. (sic enim versio Lutheri, quam secutus est, habet.) vocabunt te restauratorem sepium & reædificatorem viarum sabbathi. &c. breviter, talem gloriationem competere in eos, qui ex Spiritu perfecto regenerati ad adultam ætatem pervenerint: inter cæteros, qualemcunque fidei & spei arrogationem habeant, non item. Iam ad sententiam D. à Lasco, quod serpens alius fuerit & diversus, proprium scilicet individuum, ab Adamo & Eva distinctum, &c. ita respondet David: Se non intelligere serpentem, animal ratione carens, aptum fuisse ad sollicitandos primos parentes, cum ipsa experientia nos vel hodie doceat nullam rem, ad nostras mentes flectendas, & peccato implicandas, aptiorem esse, quam carnis illecebras. Et Mosis testimonium de omnibus Dei ante lapsum operibus creatis esse, quod omnia, quę Deus fecerat, bona essent. Præterea scripturam alibi testari, quod Sathanas alligatus sit in inferis catenis tenebrarum: & hic apud Mosem dici, serpenti constitutam esse pœnam reptationis super terram. Quæ Mosis verba, si nudè accipiantur, significare videri, quod serpens, antea erectis pedibus rectus incessisset: & in facti pœnam reptatio super terram ei

impoſita fuerit. Poſtremò ſerpentem hodie non magis muliebri, quam virili ſexui, infeſtum eſse. Ex his atque aliis abſurditatibus, quas hiſtorica narratio ſimpliciter ut ſonat, intellecta, neceſsariò ſecũ trahat, ſe cogi, ut hic allegoricam interpretationem advehendam eſse putet: præſertim cum Chriſtus in quadam parabola euangelica diabolum nominet promiſcuè, jam Malum, jam diabolum, alibi & ipſos homines, nimirum Petrum & Iudam diabolos appellet. Se tamen propter hanc quæſtionem cum quoquam contendere nolle. facile ſe aliis concedere hiſtoricum ſenſum, licet puerilem & inutilem, atque etiam abſurdum, ſi ſibi allegorica interpretatio, in qua ſit plus utilitatis & ſucci, concedatur. Poſtremò ſe probare non poſse, dixit Laſcus: Si David eam naturæ conſtitutionem in hac vita noſtra expectandam eſse cenſeat, ut abolita membrorum lege, qua ſub peccati ſervitute, vel inviti, concluſi ſumus, ſecundum ſpiritum toti vivamus. &c. Hic verboſiſſimè & confuſiſſimè reſpondendo, David multum in ſua umbra verberanda moleſtiæ ſumſit, dum ſine adverſario pugnando, conatus eſt oſtendere & probare, nos per fidem in hac vita poſse conſequi regenerationem, eamque conſtare, non ſolum opinione & perſuaſione,
quod

quod meritum Christi ad nos, tanquam proprium, pertineat, sed etiam efficaci carnis mortificatione & Spiritus vivificatione. Et hanc regenerationem habere suas ætates, & ætatum progressiones, & consummationem. Et cum post aliquot folia, in hujus sententiæ probationem conscripta, admoneretur, quod sine adversario pugnaret, Lascum enim non negare regeneratione͂, sed supremum illum regenerationis gradum, quo homo videlicet ab omni, tum judicii errore, tum concupiscentia mala liberatus, totus omni ex parte secundum spiritum vivat, propterea quod hic gradus futuro seculo sit reservatus, nostræque naturæ integram restaurationem, atque adeo immortalitatem, requirat. &c. Ex hac admonitione novam responsionem adornat, sed ita tamen, ut primam velitationem reliquerit. Docet autem ad ejusmodi perfectionem non opus esse immortalitate corporum, cum non corporis natura sit inquinata, sed sola anima rationalis sit corrupta: ea restituta, corpus sua sponte animæ obsequuturum, veluti umbra corpus sequitur. Quantum ad animæ in hac vita restitutionem pertinet, certò ex S. literis constare, eam constitutione͂ à Christo vocari renascentiam, à Paulo, novam creaturam. Deinde certum esse ex iisdem

ſ. literis Chriſtum fidelibus natũ, crucifixũ, mortuum, ſepultum, & aſcendiſſe in cœlos, ipſum, etiam cũ omnibus ſuis beneficiis & virtutibus fidelibus eſſe datum, non tantum per imputationẽ, ſed etiam efficacia, nimirũ quod earum rerum virtutẽ in illis proferat. Hæc ut ſacris literis probentur, ita & rationi eſſe conſentanea. Nam dum Paulus ait, eũ, qui Chriſto adhæret, unum cum Deo fieri, hac locutione ſignificari participationem, non tantum per imputationẽ, ſed etiâ communionem realem. Secundũ hanc adhæſionem fideles transformari in eandem cum Deo imaginẽ, quę voces identitatem ſignificent. Iam rationem docere, iiſdẽ omnino rebus, & juſtitiam Chriſti indui, & iniquitatem exui, quemadmodum eadẽ qualitate & iiſdem principiis naturalibus illã gignentibus, & frigus remittatur, & augeſcat calor. Accedere his & aliam probationẽ, quod, qui reliqui in adventu Chriſti futuri ſunt, hic in terris experturi ſint immutationẽ, quę omnem perfectionom contineat. Poſtremo, ſi negetur plenam juſtitię perfectionę nos in hac vita conſequi poſſe, eadem ratione negari plenam reconciliationem & liberationẽ à ſervitute peccati & captivitate diaobli fieri in hac vita. In eum enim finem Chriſtũ pro nobis factũ peccatum, ut in illo juſtitia efficeremur. Hinc eum factum damnationẽ

in carne, ut justificatio legis, non solum in Christo, sed etiã in nobis, hoc est, in carne nostra, *impleretur*: Interim non excludi eos, qui supremum gradum non assequantur, cũ ipsis, eam imperfectionẽ ex fide deplorantibus & veniam petentibus, sua fides ad justitiam imputetur. Sed tales efficaciter, non tam liberari à servitute peccati, quam à damnationis jure: alios ulterius pertingere, & efficacem liberationẽ consequi. juxta illud Ro. 6. 17. 18. Gratia autẽ Deo. &c. Multos in hac quęstione falli ex eo, quod naturales affectus à vitiis eorundem destinguere non valeant, atq; ita pro vitiis habeant, quę non sint vitia. Nam post veram & justam in hac regeneratione ætatem, nihil esse in rerum indifferentiũ usu, quod polluere posset tales, cum omnia munda sint mundis. Sed hęc in tanta judicii inopia non potuisse hactenus distingui. &c. Et hactenus quibus rationibus & scripturæ testimoniis sua dogmata nova probabilia reddere conatus sit, quanta potui fide, luculentiâ, & brevitate explicavi: tamen quam ille compendiosius & ornatius, ut qui varia & pugnantia aliquoties adferat, deinde idem ter quaterque ad nauseam usque repetat. Sed tamen nihil addidi, quod non illi & persuasissimum fuerit & usitatissimum docere. Quo autem ei post hac non ad istum modum ne-

cesse esset decertare, & sacrarum literarum testimoniis sua confirmare, sed se ista liberaret molestia, in fine suæ hujus à D. à Lasco responsionis ponit breve probandi sui & alios vincendi genus, quod hic propriis illius verbis exprimere placuit: Summa earum rerum, inquit, quæ hic dictæ sunt, hæc est, quod imperitus perito cedere & tacere debeat; quemadmodum candelarum usus cessat, luce solis exoriente, & ductor videns præcedit cæcum. &c. Et paulo post: Non est autem mihi necesse, ut verbum aut doctrinam mihi revelatam, quam in spiritu & veritate efficaciter super omnes sensus cordis vidi, odoratus sum, gustavi, palpavi, ac sensi, *conformem aliquibus Pauli verbis.* quandoquidem voluntas Dei jam non est, ut quisquam propter ulla scripturæ verba scripta credat. Siquidem *Vir ipse* adest: propterea puerilia illa omnia abjicienda sunt, & corde solum credendum est unico veroq; Deo & Christo ejus, sine verbo æternæ justitiæ & charitatis. Amen. Halleluia. 25. Maij A° 1544. Hactenus David.

f. confirmem.

Christo, sc. Davidi.

Narrationem autem disputationis, licèt ea ad doctrinæ explicationem pertineat, hic tamen, quam potui, brevissimè percurrere volui, propterea quod ex eo conflictu in ejus sectatores aliquos in Frisia

 Orien-

Orientali persecutio nata sit. quamvis ejus occasio aliunde advenisset primò. Nam Cornelius ille Leidensis, Batenburgensium Princeps, de quo jam antè mentionem fecimus, eodem tempore à suis Leidæ captus, proditus, & de multis horrendis criminibus, sceleribus, flagitiis, & sacrilegiis, sub religionis prætextu, in urbe Trajectensi perpetratis convictus, multos à suâ impiâ sectâ alienos per totum illum terræ tractum prodidit, & anabaptismi insimulavit: propterea quod, illos odio planè diabolico prosequens, eorum exitio delectaretur. Inter hos proditus fuit & Georgus Ketel, de quo jam sæpe facta est mentio, quod olim adolescens fuisset rebaptizatus, & Davidis negocia nunc procuraret nonnunquam. Hoc enim cum requisitus ingenuè confiteretur, ex aulæ Brabanticæ mandato fuit incarceratus, & ab eo per gravissima tormenta expressa quorundam Davidianorum nomina in Frisiâ Orientali degentium. Quod autem horum potius, quam in aliis ditionibus habitantium, nomina indicaret, inde erat, quod speraret, id sine illorum capitali periculo fieri posse. Atqui cum aula illa malè vellet isti Comitatui, propterea quod multi, qui ex illorum ditionibus profugissent, receptum ibi habere dicerentur,

ex hoc captivi judicio caufam venabatur, magiftratum iftius Comitatus infimulandi læfæ majeftatis divinæ atque humanæ. Mifit igitur literas, unà cum ampliff. Legato, quibus juberetur Comitiffa vidua, quemadmodum & nobilitas univerfa, ut non tantum Mennonitæ, Davidiani, & alii, fed etiam ipfe D. Io. à Lafco cum fuis concionatoribus omnibus ejicerentur. Atqui hinc factum eft, ut aliquot de Davidianifmo, vel proditi, vel fufpecti, examinarentur, &, qui Davidis difciplinam fimpliciter damnare nollent, ejicerentur. Huic perfecutioni & implicati fuerunt aliquot nobiles familiæ, & facultatibus omnibus, quas in Brabanticis ditionibus reliquas haberent, omninò exutæ, capitis pœnam atrociffimam fubituræ, fi non ante iftam tempeftatem aufugiffent. Paulò ante hoc tempus, quidam Sectæ Davidianæ ampliandæ ftudio ardens, & græcæ & latinæ linguæ peritus, cœpit librum Admirabilium in linguam latinam vertere, quo tanta fapientia tandem aliis quoque nationibus, præfertim Gallis, quorum id avidè aliqui expectabant, communis fieret. In hoc dum effet opere, tantâ fuit admiratione vulneratus & obftupefactus, ut ingentem fpem ceperit, fe per ea, quæ jam verterat, nimirum per prima primi

libri

libri triginta capita, *Philippum Melanchthonem*, olim suum prçceptorem, facillimè in Davidicæ sectæ societatem pertracturum, & per eum deinde totam Germaniam. Hac spe fretus instituit iter ad Wittembergam, comitante ministro fideli, & secum ferente librum Admirabilium excusum, simul cum triginta capitibus versis. Cum autem, Witembergam ingressus, Melanchthonem post lectionem auditam salutasset, cœpit ex illo quærere, an nihil audivisset vel intellexisset de magnâ & hactenus orbi inauditâ sapientiæ luce, per Inferiorem Belgicæ Germaniæ tractum patefactâ, de admirandis mysteriorum illustrationibus, veluti de Deo, de angelis, dæmonibus. &c. Respondet Melanthon, se non sine magno cordis dolore intellexisse, in toto illo terræ tractu, præter idololatriam & tyrannidem papanam, omne genus portentosarum sectarum vagari, inter quas aliquæ doceant, Diabolum nihil aliud esse, nisi inane nomen: Interpres ait, se libenter fateri, diabolum esse spiritum, ad malum impellentem, efficacem in incredulis: Et Melanchthon inde certo concludebat, Spiritum, si simpliciter per se agat, oportere etiam subsistere. Cumque interpres quædam absurda adderet postea, dixit tandem

Melanchthon, ejus doctrinam esse fanaticam, &, si constaret, eum Wittenbergam venisse, ut ibi suas furias seminaret, se effecturum apud Magistratum, ut statim in vincula conjiceretur. Bonus ille Interpres, spe futuri successus antea plenus, atque ferè ebrius, post has Melanchthonis minas auditas, ita cœpit hærere, vacillare, & trepidare, ut pro istius doctrinæ defensione verbū prioribus addere vix potuerit. Atqui, se nihil tale cogitasse, prætendebat: hoc etiam ipsam experientiam convincere, cum præter eum, qui totius urbis primarius & coryphæus esset, neminem hactenus convenisset. Absoluto colloquio, Interpres rectà ad diversorium contendit, atque cauponi solvit, dimisso prius famulo cum libro Mirabilium & aliis lucubrationibus; Sibi enim à libris illis periculum metuebat, propterea quod illis lectis, & rectè intellectis, tergiversationi non fuisset locus. Sed diversis urbis partibus in constitutum diversorium noctu sibi mutuo occurrerunt, & eo vesperi & postero die, ad avertendum periculum, notitiam & familiaritatem dissimularunt, postea, de periculo securi, conjunxerunt se patentius, atque ita salvi venerunt in eum locum, unde profecti erant.

Cum igitur David intelligeret, omnes suos

os conatus non eum, quem speraverat, ventum consecutos, à Melanthone ejus doctrinæ communionem adeo non permaxisse, ut ex Lasci consensu ditione Frisiæ Orientalis ejicerentur omnes, qui, de Davidianismo suspecti, ipsum & ejus doctrinam damnare nollent: jussit, tum oratione, tum scriptis, ubique suos abstinere à doctrinæ suæ ad alios propagatione, quià tempus malum esset, in quo sapienti esset silendum: & Iacobo vestitus Esau ad tempus induendus, ut, à periculo impiorum tutus, benedictionē ab Isaaco tam adipisceretur. atque huc torsit illud Gen. c. 26. v. 20. 21. Quamvis autem ille tale mandatum emisisset, fortassis non tam religione, quam periculi vitandi causa, cum jam non amplius, ut antea, clam in ædium conclavibus delitesceret, sed palam Basileæ in publico versaretur, tamen hoc ejus consilium aliquibus utile & fœlix extitit: iis videlicet, qui fucatæ humilitatis, castitatis & sanctitatis admiratione obstupefacti, & studio propagandæ ejus doctrinæ accensi, atque ad eam rem perficiendam commoditates non paucas haberent; tamen, divinâ providentiâ ita rem gubernante, inviti & magno cum dolore, nec sine offensione retenti, & veluti revocati fuere à tali conatu. Ob
quam

quam rem iidem hodie, ab ejus sectæ soci-
etate fœliciter liberati, atque purioris do-
ctrinæ ecclesiæ adjuncti, Deo gratias a-
gunt, quas possunt maximas. Tempu-
autem, quo emissi fuerunt illi libelli,
in quibus docebatur occultatio & dilati-
propagationis doctrinæ, fuit annus 1544
in autumno, cum in ejusdem anni ver-
jus civitatis Basiliensis impetrasset. Quo-
modo autem, & quibus comitatus pri-
mò illuc venerit, & civitatis jus acce-
perit: & quomodo cum utroque, tum
civili, tum ecclesiastico Magistratu, tum
civibus publicè privatimque se gesserit a-
obitum usque, in ejusdem Magistratus no-
mine postea, A° 1559. Videlicet, edit-
libello (de cujus plerisque capitibus perpe-
ram positis in præfatione mentionem feci)
publicatum fuit. Quantum verò attinet a-
studia domestica, nemo civium quicquam
rescire potuit, cum omnia tectè ageren-
tur: Nihil enim æquè metuebat, atque ne
ab iis, qui Argentinæ olim Hofmannum
secuti, nunc autem ecclesiæ conjuncti e-
rant, indicio proderetur. Nam iis ex di-
sputatione, quam cum illis anno 1538. ha-
buerat, probè notus erat. Sed mutatum
nomen, mutatus amictus, comitatus no-
bilium virorum magnificus, audacia affe-
ctata, & frons egregiè perfricta, rem valde
obscura-

ſcurabant, aut ſaltem alios iſtius negocii
nſcios deterrebant, ne publicè eum ad
gistratum deferrent: licèt eorum qui-
n apud quoſdam cives clam tale quid
uiſſet. Ipſe verò, qui omnia quantâ po-
at prudentiâ ageret, ſæpe interfuit con-
nibus, in quibus multa erant audienda,
æ ei diſplicerent, quæque ejus dogmata
pugnarent, & in ejus auditoribus etiam
e doctrinæ ambiguitatem parerent. Cui
riculo ut occurreret, omnem diligen-
m impendit, ut concionatorum ſpiritũ,
ctrinam, vocationem & mores extenua-
, & ex illorum exiſtimatione, & auctori-
e elevatâ ſuam ſtabileret. Atq; hoc non
ntum oratione præſentibus, ſed & per li-
ras & libellos abſentibus inculcabat. Hu-
s generis eſt libellus excuſus, cujus tit.
t: *De veris & Falſis concionatoribus.*
em libellus: *De vera illa Sion & Hieru-
lem*, ex quâ dimanaret & evulgaretur
rbum Domini, ſecundum Eſ. c. 2. 3. &
ichęam, c. 4. 2. Nam audierat, quen-
am eruditum diaconum in ſummo tem- Fuit is Ga-ſtius Bri-ſacenſis,
lo ita exponere, quaſi hæc promiſſio ex-
ibita eſſet Ieroſolymis, die pentecoſtes,
um apoſtoli, novo Spiritu confirmati, no-
am legem & doctrinam promulgaſſent,
rimò Hieroſolymis, deinde Samariæ,
oſtea in omnibus terræ finibus. Conſcri-
pſit

psit etiam tunc temporis libellum, cui ti-
tulum dedit: *Oratio ad mundi Sapient[es]*
& potentes. &c. In hoc scripto omnes su[æ]
scientiæ & eloquentiæ vires explicavi[t],
ut ostenderet suisque persuaderet, omn[es]
omnium in toto orbe ecclesiarum & se-
ctarum doctores destitutos esse, verâ ve-
ritatis luce & efficaciâ: eam autem ja[m]
sibi soli cœlitus esse revelatam, aliis post[e]
fœliciter explicandam & confirmandam.
Sed nos alibi isti arroganti scripto modo-
stam opposuimus refutationem, ad qua[m]
lectorem, istarum rerum cognoscendi cu-
pidum, remittimus. Scripsit deinde &
alios libros plurimos, de quorum plerisqu[e]
mentionem fecimus in catalogo libroru[m]
illius. Quamvis à scriptionibus nunquam
quoad viveret, cessaret, tamen interi[m]
& simul operam dedit, ut sibi suisque pro-
spiceret iis in rebus, quæ facerent ad ho-
nestam conservationem ejus status, que[m]
sibi jam in isto loco ab initio sumserat. E[t]
quia quidam liberi jam conjugio apti fu-
erint, curavit prudenter & callidè, ut illi[s]
etiam hac in re consuleretur, quod tame[n]
factum non est sine suorum nonnullorum
offensione. Iam quomodo ex suis sectato-
ribus unus in initio eximiæ cujusdam pie-
tatis specie deceptus, & ex nonnullorum
post seriam regendorum morum diligen-
tiam

am, in omni genere cruciatuum perfe-
endorum constantia præstanda, admira-
one obstupefactus, fidem isti factioni
ederit, & fidelem operam in multis re-
us sæpe præstiterit, & tamē in quibusdam
ogmatibus & moribus approbandis nun-
uam conscientiam satis tranquillam ha-
uerit: & tandem cum magno animi do-
ore videret, primam illam morum speci-
m, quæ eum isti factioni implicaverat,
dies magis ac magis deficere, & vitia
perta isti fucatæ speciei contraria profice-
:, augeri, & inundare, animo sumto,
am privatim oratione & literis de quo-
ndam dogmatum defendendorum peri-
ulo liberè quidem, sed modestè tamen,
ræmonuerit: & quomodo infœlix ille
omo verbis quidem blandis, quasi talem
ræmonitionem boni consuleret, se com-
araverit, sed ingens odium latens in mo-
itorem conceperit, suosque primarios
mnes, alios ad se evocatos præsentes o-
atione, alios absentes literis & libellis
lurimis, ut se ab istius monitoris disci-
lina, tanquā à pręsenti veneno, caverent,
ræmonuerit: denique quomodo is idem
nonitor, olim miserè seductus, & mise-
ius, ad tempus tanquam captivus, sed
oostea, per ejus obitum, fœliciter libe-
atus, suscepta peregrinatione, multos in
variis

variis provinciis præſens acceſſerit, errores enormiores in libellis infinitis contentos indicaverit, & è tenebris, in quibus diu abditi fuerant, eruerit, refutaverit, & confecerit: & quantis periculis ob eam rem perficiendam ſe expoſuerit, ſumtus fecerit, moleſtias & labores exantlarit, aliis in opuſculis explicatum eſt. Nam ea omnia huic operi inſerere, ut mihi in deſcribendo laborioſum, ita & lectori fortaſſis tædioſum foret. Nunc ad obitus ejus deſcriptionem veniendum eſt.

Priuſquam tamen obitum ejus deſcribam, quædam de ratione exercitationum ejus in ſtudiis, precationibus, ſcriptionibus, & aliis rebus narrabo. Iam à teneris annis (ut narravit ſæpius) noctu difficulter ſomnum admiſerant oculi, fortaſſis propter ingenii agilitatem. Senio ingruente, hoc malum augebatur, tum propter curarum varietatem, quibus cerebrum magis ac magis fatigabatur, tum propter muliebres æmulationes (ipſe vocabat Spiritus ſancti Zelotypiam) quibus ſeipſum miſerè vexabat. Et quum noctu multas horas vigiles egiſſet, & in aurora ſomnus rediret, fiebat, ut plerumque ſerius è lecto ſurgeret. Interim dum veſtes induebat, ſeque ornabat, à filiabus vel famulabus, quas haberet fideliores, ei aut ovi vitellum, vel juſculum

dum aliquod sorbendum offerebatur: at-
que eodem ferè tempore pædagogus, cum
minoribus pueris eum salutabat, quos rarò
aut nunquam à se dimittebat sine seriâ ali-
quâ admonitione, de timore Domini, de
studio & diligentia precandi Deum, aliisq;
pietatis excercitiis. Habebat liberos opti-
mæ indolis, ejusque observantissimos. Illis
dimissis se tradebat scriptionibus usque ad
decimam horam, postea se conferebat
in hortos, quos habebat amœnissimos. Ibi
semper aliquid agebat ipse, aut per alios fi-
eri curabat. Circa duodecimam horam mē-
sam accedens usque ad secundam ferè ho-
ram ibi morabatur, idque ob colloquia,
quæ de religione, vel aliis honestis rebus ibi
nascebātur, vel quod malè masticando tar-
dius adferuntur fercula. Erat autem modici
cibi, sed largioris potus. Prandio peracto,
post lectionē in chronicis, somnus obrepe-
bat, quo finito se iterum scriptionibus, &
postea deambulationi, vel horti culturæ
dabat. Nonnuqnam familiaribus comita-
tus, animi gratia equis proficiscebatur, vel
ad proximorum vicorum diversoria, vel ad
prædium, quod tribus ab urbe milliaribus
habebat amœnissimum. Et quia olim ex-
ercuerat artem pictoriam, plurimum de-
lectabatur eâ, quæ se intra montes non-
nunquam, offerebat situum varietate, quos
 montes

montes tum ipſe, tum filii aliquando depingebant. Quam exercitationem etiam in morbis & ægritudinibus animi gratiâ adhibere ſolet. Plurimùm eum delectabant luſus illi pueriles, quibus riſus moveri ſolent. Nam ut à perſonatâ illâ morum gravitate abhorrebat, ita luſibus illis, riſum excitantibus, delectabatur, adeo ut hîc ſæpè ejus ætatis decor excederetur, & ad puerilem ſtultitiam quàm proximè accederetur. Eruditionem, & eos, qui longioribus veſtibus induti incederent, propter opinionem eruditionis & perſonatæ gravitatis, mirè improbabat & oderat. Pictoriæ & ſtatuariæ artis eximè peritos mirificè amabat. In precationibus erat ſerius & ardens, in admonitionibus & exhortationibus ſedulus, in docendo venuſtus, ſed amethodus. In dictandis vel ſcribendis libris ſervabat hunc morem, ut quicquid illi vel inter deambulandum, vel orandum, vel legendum, vel cum aliis colloquendum, in mentem veniret, quod ei probaretur, eius ſummam memoriæ cauſa in chartis notaret, & poſtea in formam redigendo ſemper magis ac magis augeret. Et multum ſcribendo didicerat celeriter ſcribere. Nunquam ferè ſcriptum ullum ſuum aut relegebat aut audiebat recitari, quin aut deleret, aut adderet, aut mutaret aliquid.

Nunc cum finem curriculi vitæ feceri-
nus, pauca adhuc sunt adjicienda de gene-
e morbi, quo sublatus sit, & quem finem
itæ habuerit. Circiter 14. dies decubuit.
Morbus autem primò eum ita invasit: Ha-
bebat ventrem mirè laxum, hinc facilè
luxus accedebat, vel ex pomo comesto,
ut lactucâ largius sumtâ, vel ex haustu cer-
isiæ. Cum autem eo anno Augusti mensis
calidissimus esset, celeriterque supervenire
rigus, eo in die, quo hauserat mustum pira-
conum, ei per nobilem honoris & delecta-
ionis gratiâ missum, secutus est ventris flu-
xus, cui altero die successit extremorum
rigiditas, & membrorum quidem quasi
corpor. Medici existimantes esse cathar-
rum, ex subitâ auræ mutatione, & frigido
potu natum, jubebant adhibere frictiones
per linteamina calida. Hæc cum facta es-
sent, primo die circa noctis initium, ipse
post somnum primum cœpit sentire ma-
gnum articulorum dolorem. Iam antea se-
mel atque iterum idem articulorum dolor
eum leviter corripuerat. Cum cerebrum
haberet frigidum & imbecille, illudque in-
dies ex frequentibus vigiliis, perpetuisque
animi fatigationibus scriptionum, atque ir-
remisso corporis ocio, biliosus defluxus ei
in membris & articulis tam acrem genuit
dolorem, ut simul cum fine doloris & vitæ

finem exoptaret. Medici, quorum alter ejus civitatis erat ordinarius, monebant, ut ad exiguum temporis intervallum patienter ferret eum dolorem, brevi suâ sponte remissurum. Nam cum venter non esset stipatus, & præterea aliquot lenibus clysteribus repurgatus, morbus denique accessisset recens, minimeque esset inveteratus, bona in spe erant Medici, morbum brevi declinaturum: quod & brevi fiebat, humoribus in tumorem articulorum erumpentibus. Vbi tam ipse, quam sui, atque etiam Medici propter remissos dolores læti essent, ecce iidem humores subitò in inferiores partes reversi, magnum circa præcordia calorem excitarunt, & cerebrum perturbarunt. Tum à Medicis de ejus vitæ conservatione dubitari cœptum est: idque non tam propter gravitatem morbi, quam propter cordis & naturæ infirmitatem, quam statim pulsus & pronunciatio ostendebant. Naturâ ita cum morbo luctante, denunciatum illi fuit, uxorem esse vitâ defunctam, quæ res non parum morbum auxit. Decubuerat illa per annum dimidium in lecto ex renibus per apostemata putrefactis & consumtis: & cum intelligeret, maritum graviter laborare, auctus fuerat & ejus morbus. Quod postquam maritus intellexisset, ardentissimas ad Deum preces pro uxoris salute fu-

 derat,

derat, idque eâ ſedulitate, ut nunc nihil omnino de ejus ſalute dubitaret. Hanc exauditarum precum fiduciam auxerant Medici, qui ei quærenti, quomodo valeret uxor, reſponderant, benè valere, morbum mutatum. Omnium amicorum commune & conſentiens conſilium erat, uxoris mortem ægroto marito non denunciandam, liberi verò adultiores matrem ſepelire nolebant patre inſcio, ſperantes fortaſſis futurum, ut patris precibus exoratus Deus eam vitæ reſtitueret. Priuſquam ei uxoris mors denunciaretur, mens leviter aberrabat; ſed uxoris morte intellectâ, mens in priſtinum ſtatum rediit: idque in eum ferè modum, quo ad ſe redire ſolent, qui graviſſimè ebrii, ob homicidium recens commiſſum, in lictorum & judicum manus prolapſi, ad ſobrietatem redeunt: ſed non diu duravit is cerebri ſtatus, recurrente aberratione. Nam ſpes ulterius vivendi prorſus erat ablata: cujus rei cogitatio eum non tantum haud dubiè angebat, ſed graviſſimè afflixit: idque tanto magis, quod de malo & inuſitato mortis genere, brevi à Deo irrogando, omnibus illis, qui ejus auctoritatem in dubium vocare, nedum in ejus doctrinâ quicquam reprehendere auſi fuiſſent, ſæpe non tantum ominatus, ſed pro certo oraculo venditare auſus fuerat, atque ſuis etiam

persuaserat. Sed mors adeo fortiter irrumpebat, ut ei altero post die ex hâc lachrymarum valle fuerit migrandum, suis omnibus eum lachrymis prosequentibus, & mori cum illo cupientibus.

Dies in quo obiit, fuit Augusti 25. anno 1556. circa horam sextam. uxor tertio ante ejus obitum die mortua erat in aurora. Quomodo autem is sepultus, & ejus funus peractum fuerit: deinde quomodo post triennium ferè ejus cadaver, sive ossa, & quicquid in ejus sepulchro reliquum erat, effossum, in cineres redactum fuerit, per historiam ab eodem Magistratu publicatum est. Quomodo hoc negocium primò innotuerit Magistratui, quia de ea re sunt suspiciones variæ, neque certi quidpiam in eâ historiâ declaratum est, ego brevem hic ejus rei narratiunculam coronidis vice adjungam.

Iam antea mentionem fecimus, quod unus aut alter ex familiaribus errores doctrinæ enormiores aliquot modestè notarit, eumque adhuc viventem de eorum periculo amanter & reverenter admonuerit, & ipse etiam eis spem aliquam, sed fallacem, fecerit, se posthac nolle ejusmodi dogmata animosius tueri, multò minus eorum approbationem aut defensionem à quoquã flagitare odiosius &c. Bonam tamen spem

monitores conceperant, ejus quaſi poſteritatis ſobolem reliquam, ex auctoris inexpectato obitu (qui multarum prædictionum atq; expectationum vanitatem redarguerat) oculos recepturam, & defenſionem errorum relicturam, aut ſaltem non damnaturam eos, qui hoc facerent. Quæ ſpes cum falleret monitores, ipſique magno animi dolore deprehenderent, ſobolem illam adeo non reſipiſcere, ut monitores potiùs conſpurcare, atque adeo omnibus ſuis complicibus inviſos & execrabiles reddere molirentur, idque non aperto marte, ſed inſidiis & dolis, calumniis & convitiis, ipſiq; hac ratione ad pias ſuas cauſas, tum diligentius explicandas, tum fortius defendendas compellerentur, atque ex hoc negocio magnum exoriretur certamen, dum alii admonitionem repudiant, alii amplectuntur, factum eſt, ut quidam auctoris famulus, cæteris ingenio præſtantior, & in ſ. literis exercitatior, vel invitus huic liti involveretur, dum ab eo requirebatur, ut partem unam defendendo, alteram ſecum impugnaret & damnaret. Cui iniquæ poſtulationi, cum bonâ conſcientiâ obſequi adeo non poſſet, ut potius diverſam partem, veluti meliorem habentem cauſam, tueri religione compelleretur, præſertim interrogatus, natæ ſunt inde erga eum graves ſimultates,
quæ

quæ tandem eo eruperunt, ut de eo abdicando consilia perquam callida excogitaverint, & quia illis probabiles deessent occasiones, arripuerunt ea, quæ ira, indignatio & temeritas suadebant: eum videlicet tanquam perfidum & apostatam sceleratum, non tam dimittentes, quam importunè ædibus suis extrudentes. Ejus stomachus ob hanc injuriam & contumeliam sibi irrogatam non parum exulceratus, à piis monitoribus, quantum fieri poterat, ad tempus detinebatur & mitigabatur. Sed posteaquam suam operam addixerat domino novo, viro docto & celebri, cœpit ei sensim mysteria, quæ jam à multis annis celaverat, aperire: qui deinde rem detulit ad concionatores: qui postea famulum diligentius inquirentes, non destiterunt, donec omnia ferè dogmata falsa judicata & refutata erant. Et quia is, qui hoc composuerat scriptum, non adesset, sed alibi operam suam impenderet iis, qui falsitatem doctrinæ hactenus nondum intellexerant, statuerunt concionatores, ulteriorem de eo negocio inquisitionem ad reditum ejus suspendere. Is autem domum reversus, intelligit, quasdam ejus lucubrationes se absente concionatoribus esse traditas & lectas, quâ de re indoluit, metuens periculum, quod paulò post consecutum est. Dedit igitur operam per

amicos,

micos, ut sibi restituerentur sua opuscula, quibus recuperatis accedit concionatores, & ab eis de hoc negocio requisitus, simpliciter & apertè confitetur, tam quid nunc credat, quam in quibus olim adolescentior erraverit. Et cum urgerent illi, ut proderet etiam, quid ejus affines & familiares nunc sentirent, respondit, se de aliorum, vel præteritâ, vel præsenti fidei sententiâ, testari non posse, neque etiam decere, cum ipsi, de suorum fidei statu inquirerent, ætatem maturam habentes, pro seipsis rationem reddere possint. Cum autem illi evocarentur, & interrogarentur, nihil aliud extorserunt concionatores, quam se idem sentire, quod reliqui cives in eâ repub. sentiunt: nec ullam aliam se, vel novisse, vel probasse religionem, ab eo tempore, quo in isto loco habitarunt. Hæc se ita habere, & manu subscribunt, omnem hæresin, etiam Davidianam, detestantes &c. Hanc turpem, & veritatem negandi, & mendacium profitendi licentiam, pauci recens admiserant & exercebant, cum antea eam improbassent: quod non tantum libelli primis annis editi testantur, sed etiam exquisiti suppliciorum cruciatus, in pluribus locis à multis ob suæ fidei confessionem perpessi, convincunt. Nam ut se non admodum difficiles præbuerunt alicubi, ut interessent, aut etiam com-

municarent publicarum ecclesiarum publicis sacris, tamen ut Davidis, sui idoli nomen, doctrinam & mores in ullius mortalis gratiam negarent, nedum anathematizarent, nunquam illis ab auctore sectæ, tanquam legitimum, fuit admissum. Sed quomodo, quando, & à quibus hæc flagitiosa licentia fuerit introducta, & quibus rationibus, & scripturarum sacrarum testimoniis & exemplis fucata, in nostra ejus minoris apologiæ confutatione, in art. 23. prolixè ostensum est. Sed ad pensum recurrat narratio nostra. Aliquis ex concionatoribus, cæteris ardentior, rejicit hanc subscriptionem, veluti falsam, neque cessat, tum scribendo ad exteros, tum exhortando, cum cives, tum eruditos, donec duo eximii & doctrina celebres viri rem, ut intellexerant, ad Magistratum deferebant: admonentes Magistratum, ut futuro periculo occurrat, tam perditam sectam eorum inclytam remp. deformantem, quibus possent modis & rebus, impediendo: præsertim cum post multiplices rumores, jam per aliquot annos sparsos, nunc ex ipsius hominis familiâ existant, qui hæc comprobent. Evocatus igitur fuit famulus ille ex aulâ cujusdam Principis, cui suum addixerat servitium, ex cujus, tum oratione, tum scriptis, postquam Magistratus omnia exceperat,

gerunt deinde, quemadmodum ipsi in historia nuper publicata testantur. Proditum igitur fuit hoc negocium Magistratui primum per eruditos aliquot viros, qui illud prius acceperant à famulo illo, qui per 15 annos Davidi & ejus filiis utilem & fidelem præstiterat operam, tum ejus filios instituendo, tum scribendo, tum quævis officia alacriter obeundo. Contulerat etiam in eam familiam magnam sui patrimonii partem. Sed cum, ob mutatam in religione sententiam, eum fastidirent, non tantum dimiserunt illum sine ulla præmii, aut mercedis oblatione, aut amicâ conventione ineundâ, sed etiam ludibriis & contumeliis incesserunt: persuasum habentes, Deum huic suæ factioni (quam domum Davidicam vocabant) assiduè adesse, & maturè curaturum, ne in eâ, vel tantillum, concuteretur: auxilio enim venturum, quoties opus foret. ut canit Propheta in Ps. 46. Atque hinc audacter, non tantum hunc solum famulum, sed & omnes, qui quoquo modo ab illorum dogmatibus falsis dissentire cœperunt, contemserunt, atque etiam insectati sunt acerbè. Sed Deus justus, qui arrogantiam odit, modestiam probat, ostendit, quam parum tutum sit ejusmodi fidere præsidiis, nimirum mendacio. Atque hic narrationis de vitâ, do-

ctrinâ, & actis Davidis atque aliorum finis esto.

EPILOGVS.

ET hactenus, quando, & quâ occasione secta Anabaptistica, in Inferâ nostrâ Germaniâ, initium acceperit, quomodo inter se divisa, & maximè quâ occasione Davidica emerserit primò, & quæ, tum ejus, tum decessorum & antagonistarum suorum dogmata fuerint, quod vitæ curriculum, quæ acta, quis vitæ finis, tum Davidis, tum Iohannis Batenburgii, & sociorum fuerit, quantâ potui, fide & luculentiâ explicavi. Tu interim videris, pie lector, ut his utaris ad gloriam Dei, & utilitatem ecclesiæ ejus, studeasque huic, revocandis & ecclesiæ Christi adjungendis errantibus, non alienandis, aut importunè affligendis. Vt enim, quod periit, quæramus & servemus, vocati sumus. Ego sanè in hoc molesto & invidiæ pleno opere nihil aliud spectavi, quam ut in tam diversâ istius negocii narratione, simplex & perspicua extaret veritas. De quo appello judicium Domini. Scripta sunt hæc in inclytâ urbe Basiliensi, in mense Martio, an. 1560. cum hic rumor esset sparsus, quod post multa mendosa scripta, alibi de hoc negocio publicata,

blicata, jam item in nundinis Francofordianis novus prodiret liber, multis insignibus mendaciis refertus, quem tamen mihi hactenus videre non contigit. Nam liber *Henr. Bullingeri* de origine Anabaptistarum &c. nihil de hoc negocio continet, præter ea, quæ Basiliensis habet historia.

Ex Autographo authoris descripta an. 1581. mense Februario.

FINIS.

